





11. ott. 35





APOLOGETICA  
DISSERTATIO  
DE  
IVRIS VTRIVSQUE  
ARCHITECTIS,  
IVSTINIANO, TRIBONIANO,  
GRATIANO ET S. RAYMVNDO;

AVCTORE  
IOANNE CHIFLETIO, I.C. Vcfontino,  
Serenissimo Archiduci LEOPOLDO  
à Sacris Oratorij.



ANTVERPIÆ,  
EX OFFICINA PLANTINIANA  
BALTHASARIS MORETI.  
M. D C. L I.



PERILLVSTRI AC GENEROSO

D O M I N O

D. DIDACO LOPES

D E V L L O A,

B ARONIS LIMALIANI,

I N C L Y T I M V S A G E T Æ

F I L I O M A I O R I N A T V ,

P A L L A D I S V T R I V S Q V E

E X I M I O C V L T O R I ,

*Ioannes Chifletius.*



A N C ad Te Dissertatio-  
nem reuerti tam æquum  
est, quàm ex mari obortas  
aquas in ipsum reuolui.  
Littus Oceani Iuris vnà  
legebamus in copiosissimâ Ill<sup>mi</sup> Parentis  
Tui Bibliothecâ, omnium facultatum

& scientiarum Thesauro verè magno;  
cuius primaria capita primum iure sibi  
vendicant locum Genij illi Iustitiae  
præsides, mortui, vt ita dicam, Senato-  
res, humanæ societatis arbitri, Iurecon-  
sultorum Principes, digni omni venera-  
tione & sæculorum sequentium obser-  
uantia: cùm ecce etiam non obscuræ  
notæ Scriptores, ceu piratico lembo  
vecti, Nauarchos nostros maledictis  
concidere & vexare contumelijs. Adeò  
lubentiū homines aliena errata quām  
beneficia meminimus. Nimirum, Tri-  
bonianus atheistus fuit, impius, Christia-  
ni cultus ex professo hostis: indoctus,  
simplex, stolidus ac planè rudis Iusti-  
nianus: misellus compilator Gratia-  
nus: imprudentior Raymundus in De-  
cretalibus colligendis; aliaque eiusmo-  
di critico ingenio ac mordaci nimium  
affinia. Erant ad manum quot plutei  
vestri tot clypei; è quibus Te vel ma-  
xime

ximè excitante pauculos hosce , quos  
eorum telis opponerem, statim arripui,  
& Iubens sub Tui nominis auspicijs  
opere tumultuario in eorum defensio-  
nem incubui, qui rationem parauerunt  
ac viam quâ disciplinæ breuius & faci-  
lius ordine traderentur, plusque illis at-  
tulere commodi atque lucis, quâm qui  
multarum rerum copiam in eas inue-  
xerunt. Sine immoderato studio, sine  
odio rem exequor, sententiam non ex  
ambitione, sed ex vero dicturus, non  
ingenio aut eruditione fretus, sed fre-  
quenti Auctorum appellatione; ut quo-  
rarius meis verbis loquar , cò minùs  
suspicio laborem , auctoritate amplius  
roborer. Tu defende quoque, &  
sacris Themidos initiatus nimiam cen-  
suræ seuerioris libertatem compesce.  
Tuum hoc est, Hispanum est, & priscæ  
humanitatis ; ita enim in rem meam  
transfero verba Senecæ Philosophi,

qui patriam habuit Cordubam , veterem illam florentemque in Hispaniam Boeticam coloniam : Multum egerunt qui ante nos fuerunt , sed non peregerunt ; suspiciendi tamen sunt . Quam & venerationem praeceptoribus meis debo , eamdem illis praeceptoribus generis humani . Si Consulem & videro , aut Pratorem , omnia quibus honor haberi solet faciam ; quo desiliam , caput adaperiam , semitam cedam . Quid ergo ? non dicam Catonem aut Laelium , sed Iustinianum sapientissimum Imperatorem , & doctissimum eius Quaestorem Tribonianum ; Gratiani labores tot Interpretum lucubrationibus illustratos ; Raymundum Barcinonensem , nobilitate generis , eruditione ac sanctitatis laude clarissimum , in animum meum sine dignatione summam recipiam ? Ego vero illos veneror , & tantis nominibus semper assurgo . Decet haec modestia & gratianimi significatio non litteratos modò , sed etiam illustri san-

sanguine natos ; Teque adeò , qui eos  
habuisti progenitores , quorum virtus  
vno Orbe claudi nescia , egredi fines  
Europæ nostræ veluti angustos debuit.  
Auus siquidem Tuus Antonius ( nam  
Maiores cogere intra vnius Epistolæ  
breuitatem nequeo ) Vlloanò apud  
Gallæcios genere oriundus , ac multas  
insignesque familias autà nobilitate  
complexus , rebus præclarè gestis notio-  
rem se posteritati reddidit , cùm non  
posset esse nobilior , sibiisque haberet  
cognomines Comites , Marchiones , ac  
deinde Magnates Hispaniæ , pari affi-  
nium dignitate Europam itaque emen-  
sus , in Asiam usque penetrauit , quam  
cùm sui admiratione nominis & recte  
factorum gloriâ complesset , in Ameri-  
cam perrexit , ubi apud Brasilianos præ-  
sertim ( maiori dubites Dei gloriâ , an  
Regis ac Patriæ emolumento ) Gentili-  
um res atque fortunas debilitauit ,

Chri-

Christianorum confirmauit, erexit, me-  
dioque in strepitu armorum bellicæ  
virtuti studium Religionis adiungens,  
Baptismo tingi curauit barbarorum  
quamplurimos: nec victoriarum quas  
reportauit, trophæorum quæ retulit,  
monumentum, Arcem munitissimam  
dumtaxat, sed Ædes etiam duas Paro-  
chiales, quas Christiani hodieque fre-  
quentant, longè illustriori vſu atque  
ostentatione condidit. Vnde ob eius  
*aucta in dies merita, & illustrem Vlloano-*  
*rum originem, fidem, fortitudinem, experien-*  
*tiam, PHILIPPVS I V. Hispaniarum*  
*& Indiarum Rex potentissimus, Ill<sup>mum</sup>*  
*Parentem Tuum, Limaliæ in Brabantia*  
*Baronem appellauit, FERDINANDVS III.*  
*Romanorum Imperator, S. R. I. Mar-*  
*chionem: quorum auctoritate omnia*  
*generis, honoris, nominis insignia at-*  
*que ornamenta comprehendi certum*  
*est. Ita enim præfatur Diplomati suo*  
Regum

Regum Maximus: Nobis innotuere bona  
& grata obsequia, qua charus noster & fide-  
lis Thomas Lopes de Vlloa, Dominus de Li-  
male, Bierges & Capella Sancti Lamberti, à  
Consilijs nostris bellicis in Belgio, & Ævarij  
nostrri militaris Summus Praefectus, Nobis  
præstítit; peculiarem in eo ostendens affectum  
suum, Prædecessorum suorum exemplo, &  
nominatim Antonij Lopes de Vlloa eius Pa-  
rentis, qui & ipse Corona nostra multa &  
laudabilia præstítit obsequia, præsertim in  
Brasiliâ, ubi Arcem construxit, & fortiter  
defendit plurimis copijs & proprijs impen-  
sis, grassantibus ibidem bellorum tumultibus;  
pro cuius reductione ad obedientiam Præde-  
cessorum nostrorum maltum contulit, & in  
multis alijs occasionibus nostri obsequijs non  
mediocrem bonorum suorum partem impen-  
dit. Praterquam quod predictus Thomas  
Lopes de Vlloa descendat legitime, lineaque  
directâ & masculinâ, ex antiquâ & Illustri  
Domo Vlloanorum in nostrâ ditione & Re-

x  
gno Gallacia; è quâ multi prodiere magni &  
strenui viri, quiquis insignia Corona nostræ  
præstiterunt obsequia. FERDINANDVS verò  
Romanorum Imperator: Edocti, in-  
quit, fide dignis testimonijs, Thoma Lopes  
de Ulloa, Baro de Limale, eâ te prosapiâ or-  
tum esse, que uti à multis retro saeculis illu-  
strem inter suos locum decusque obtinuerit, ita  
in constantissimâ erga Reges & Principes  
suos, tum sacrum quoque Romanum Impe-  
rium, atque uniuersam nostram Austriae  
Domum, fide, obseruantia & deuotione per-  
stiterit; quos inter Pater tuus Antonius Se-  
renissima Corona Hispaniae, in Brasiliâ pra-  
cipue Arcem exstructam, grassantibus ibidem  
tum bellorum motibus, plurimis copijs, pro-  
prijsque, sumptibus & impensis, cum non exi-  
guâ fortunarum suarum iacturâ strenuè de-  
fenderit ac conseruarit, egregio singularijs ad  
posteritatem exemplo: cuius laudabilibus ve-  
stigijs tu quoque gnauiter insistens, domesti-  
cum illud decus præclarissimis obsequiorum.

tuorum.

tuorum studijs eouisq; protuleris, ut à Sere-  
 niſimo Consobrino noſtro Hispaniarum Re-  
 ge Catholico non modo apud Belgas in Con-  
 filiarium ſuum, rerum publicarum arariq;  
 militaris Summum Praefectum, verum et  
 iam Liberorum Baronum cœtui ac numero  
 aggregari meritus ſis. Vnde & Nos confiſi,  
 te deinceps quoque nullam de Nobis, Sacro  
 Imperio, & uniuersaque noſtrâ Austria Do-  
 mo benemerendi occaſionem neglecturum,  
 pratermittere ſanè noluimus, quin ad perpe-  
 tuum & numquam intermorituruſ gratia  
 noſtrâ Caſarea erga te totamq; posteritatem  
 tuam legitimam ſtatuendum monumentum,  
 amplioribus te honorum titulis & ornamen-  
 tis augendum & cohonestandum fufcipere-  
 mus. Ex certâ itaque scientiâ, animo bene  
 deliberato, ſano ac maturo accidente conſi-  
 lio, deq; Caſarea noſtrâ potestatis plenitudi-  
 ne, te Thomam Lopes de Ulloa, omnesq;  
 & ſingulos liberos, heredes, poſteros ac de-  
 ſcendentes tuos legitimos natos, aeternâque

serie nascituros in infinitum, Nostros & Sacri Romani Imperij Marchiones creauimus, fecimus & nominauimus, titulisq; honore & dignitate Marchionum auximus, amplificauimus, insigniuimus, condecorauimus; quemadmodum vigore praesentis Nostri Diplomatis Imperialis creamus, facimus, nominamus, augemus, amplificamus, insignimus & condecoramus; eosq; omnes & singulos ordini, gradui, societati, collegio, atque communioni eorumdem adiungimus.

Illud itaque suspiciendum magis,

*Quod tot nominibus cum sis generosus  
morum,*

*Exuperes morum nobilitate genus;  
& Musis addictus mansuetioribus,  
non minus litterarum quam armorum  
praesidem Mineruam colas. Hoc enim  
quidquid est operis, facile quiuis intel-  
liget, specimen esse dumtaxat excerptorum  
Bibliothecæ Vestræ; quo no-  
mine appellitamus ea quæ ex libris  
veluti*

veluti flores extrahimus. Ijs nimurum locum vnde hæc educta atque excerpta sunt, quasi Σοφίας ιεροφυλακεῖον, seu *Sapientia sacrarium*, coronare mens fuit, atque eius fastigio imponere Στεφανώτερον βίβλον, *Papyrus coronarium*. Exile quidem munus, sed quo nihilominus, extremā iam ætate cùm in Ægyptum nauigasset, delectatum Agesilaum Regem Theophrastus ait, διὰ τὸν λιτόποτα πάντα σέφανον, propter exilitatem coronarum: casque illum petiisse à Rege cùm inde nauigaret. Addit Plutarchus, famā celeberrimi nominis excitos Ægyptios conuenisse ad hominem spectandum, miratosque esse, quodd munera vilia reiectis pretiosis acciperet. Eamdem à Te vt expectem gratiam facit humana-  
tas illa Tua singularis, quā de studijs deque viris litteratis benè merendi Patris consuetudinem sequens, ad magna & sublimia virtutis gradu tendis,

atque eum quem imitaris, refers, &  
c dem natur  propensione, non tan-  
tum moribus exprimis. Accipies igi-  
tur solit  benevolentia munusculum  
litterarium, quod & Illmo Parenti offer-  
re videor c m Tibi. Bruxell  vii. Ja-  
nuarij, Raymundi Barcinonensis festo  
die, M. D C. L I.



# APPROBATIO CENSORIS.

**R**EVERENDVS admodum & clarissimus  
Dominus IOANNES CHIFLETIVS,  
Ser<sup>mo</sup> Archiduci LEOPOLDO à Sacris  
Oratorij, nimiam Iurisconsultorum licentiam in Antistites  
etriusque Iuris eleganter exponit hac suâ Dissertatione,  
atque etiam refellit elegantiū, acutius; & versat diffi-  
cile argumentum more suo, hoc est eruditè, sapienter, or-  
natè; ut publicam lucem mereatur iure quam meritissimo.  
Ita censeo Bruxellis hac I.I. Nouembris M. DC. L.

Antonius Sanderus S. Theol. Licentiatus,  
Canonicus & Scholasticus Iprensis, Li-  
brorum Censor.

# INDEX CAPITVM.

- CAPVT I.  DITVS in Tractationem, seu future Dissertationis argumentum.  
Pag. I.
- CAPVT II. In Iustinianum Imperatorem, & eius Quæstorem Tribonianum ad iñuidiam comparata inuestigationes. 4.
- CAPVT III. Tribonianus defensus aduersus vituperatorum nimism acerbitatem. 15.
- CAPVT IV. Iustinianus Imperator doctrinā & morib⁹ verè magnus. 31.
- CAPVT V. Refutatio eorum que in Gratianam & eius Decretum adduci solent. 49.
- CAPVT VI. Raymundi Barcinonensis, viri summi atque omnibus sanctimonie notis illustris, doctrina singularis asserta aduersus ineptum cauillatorem. 60.
- CAPVT VII. ET ULTIMVM. Antistitum Iuris utriusque honores bonis artibus quaestos, minime fugillandos esse. 64.

D E

DE IVRIS VTRIVSQUE  
ARCHITECTIS,  
IVSTINIANO, TRIBONIANO,  
GRÁTIANO ET S. RAYMVNDO,  
APOLOGÉTICA DISSERTATIO.

C A P V T . I.

Aditus in Tractationem , seu futuræ Dissertationis argumentum.

- I. *Illis habende gratie à quibus institutus fueris.*
- II. *Noui Iuris Architecti ab ipsis vtriusque Prudentiae studiosis supra modum maledictis atque iniurys lacefisti.*
- III. *Triboniani expostulatio apud Lipsium.*
- IV. *Vanis hisce opinionibus occurrentum.*

**S**i nauata Iuris vtriusque Prudentiæ I. opera nonnullis aliquando saluti fuit ; à quibus id accepimus , quo ceteris opitulari , & alios seruare possemus ; hisce profectò ipsis , quantum est situm in nobis , & opem ferre , & gratias immortales habere debemus .

A

II. Sed

II. Sed quoniam humano malo liuor & inuidia pronis auribus excipiuntur , plerique pergentes non quā eundum erat, sed quā alios ire intuebantur, nihil minus antiquum habuerunt , quām quod ratio officij illorum postulabat. Quibus enim ludibrijs Antistitium utriusque Iuris grauissimam dignitatem & amplissimam auctoritatem exagitatam videmus? Hanc publicē atque in foro graphijs quotidie confodiunt.

*Ut libet illudunt, lacerant impunē, manusque*

*Tingunt magistri ferias sanguine :*

Per iste-  
phan. Hym-  
no 8.  
Cicer. pro  
Planc.  
cuiusmodi mineralū apud Prudentium Doctori suo Cassiano iuuentus ingrata persoluit. *Nihil est tam volucrē quām maledictum; nihil facilius emititur; nihil citius excipitur; nihil latius dissipatur.*

III. Hinc in Satyrā Menippæā Lipsijs , inter Iureconsultos clamores & confusæ voces Tribonianī audiebantur : *Ecce me infelicem! & ô vanos labores meis! non corrigunt me solum, sed corripiunt, quasi malā, immō nullā fide in exscribendis legibus versatum. Quod sanctum, quod immotum est, tangunt. Violatores maiestatis, & vltore gladio puniendi.*

IV. Occurrentum itaque vanis hisce opinionibus credidi , ipsisque Iureconsultis consulendum , ne contra se pugnent, velintque aliquando ab ingratitudine animi

animi notâ liberari; cùm sit illa exploratissimæ veritatis B. Ambrosij sententia: *Primum ardorem descendit, nobilitatem esse magistri*: tantoq[ue] turpius gratiam ijs non referre à quibus institutus fueris, quanto honestior causa referendæ: cuius etiam est obligatio aliqua naturalis, non quidem eiusmodi ut vim habeat obligationis iuris naturalis, quam Ius gentium induxit; sed quæ ab honestate naturæ ducitur, & apud bonos & claros viros satis habet momenti:

*Lib. 1. de  
Virginit.*

*Quare hanc præstare debemus*, inquit Franciscus Connanus, *quamquam nec gentium nec ciuitatum Lege tenemur. Judex autem nos condemnare eius rei nomine non posset; Lex vero ciuilis id posset constituere, quod fecit Lex Macedonum, quæ dedit in ingratos actionem.*

*Lib. 1.  
Comment.  
Iuris Civil.  
cap. IX.  
num. 7.*



## C A P V T I I.

In Iustinianum Imperatorem, & eius Quæstorem Tribonianum ad inuidiam comparatae invectiones.

- I. En probrorum portenta, quæ in doctissimum Cæsarum, & eius Quæstorem passim congeruntur: *Tribonianus homo nocentissimus, auarus, Gentilicia superstitionis reus, ius quotidie nouum variumq; constituit.*
- II. *Iustinianus Imp. indoctus ac planè rudit, faculo infelicissimo Iuri concinnando se accingit, unius Triboniani ope & ingenio fatus.*
- III. *Tribonianus perniciosissimus assentator, atheist, in Codicem Iustinianeum leges inuehit ipsorum Augustorum qui Christianam Religionem persecuti sunt.*
- IV. *Hinc factum esse, ut studium Civilis Prudentie Clericis & Regularibus interdiceretur.*
- V. *Antonius Faber, Budaeus, Duarenus, alijq;, Triboniani facinora, audaciam atque inscitiam notant.*
- VI. *Iustinianus analphabetus, simplex, stolidus, more asinino auriculæ mouet.*
- VII. *Franciscus Balduinus deflet perturbationem Iuris à Iustiniano relieti: Triboniani flagitia, Stultitiam atque audacem ignorantiam refert.*
- I. **V E R I T** igitur, si Superis placet, in Aulâ Iustiniani homo quidam nocentissimus, immani auaritiâ, cui fides, decus, pietas, honesta atque inhonesta omnia quæstui fuere, quid ad fainam



APOLOGETICA DISSERTATIO. 5

famam sui relinquere potuit, nisi memoriam scele-  
rum suorum & Hunc Tribonianum fuisse aiunt  
Pamphylium nescio quem, pecunia ad miraculum  
anidum, auctore Suidâ, *Ius pretio vendere solitum, im-  
pium, & omnibus modis à Christianâ Religione alienum;*  
quem cum Iustinianus Imperator Quæsturæ præ-  
fecisset anno Imperij sui tertio, Gentilitiæ supersti-  
tionis reum agere coactus est, eiique à populo ad  
cædem quæsito magistratum abrogare: sed cum  
exauctorato successisset in paucos dies Basilides, breui  
sedatis turbis, pristinæ dignitati restitutus, sic eam  
adimisstrauit, ut homo auarus nullâ fide, nullâ iu-  
stitiâ Ius quotidie nouum variumque constitueret.

Hoc vno tamen auctore (quis ferat?) Ciuilis II.  
Prudentiæ disciplina posteris tradita est, certisque  
finibus circumscripta: quodque Iulius Cæsar, &  
nonnulli post eum Imperatores multò paucioribus  
in libris & ætate ingeniosissimorum hominum fe-  
racissimâ attingere ausi non erant, huius vnius suasu  
atque impulsu Iustinianus Imp. indoctus ac planè  
rudis, longè pluribus in libris, & omnium bonarum  
artium interitu ac sæculo infelicissimo aggressus est,  
ut hoc insigni ac peraudaci facinorę vetus verbum  
comprobaret; Ex imperitiâ audaciā, ex doctrinâ  
atque peritiâ dubitationem diffidentiamque gigni.

A 3 III. Igitur

Franc.  
Homannus.  
Ægid. Per-  
tinus abijg.  
in Vitâ In-  
stiniani.  
Coffellian.  
Costa lib.  
de Iurispa-  
ritis.  
Franc.  
Connarus  
Comment.  
Iur. Ciuil.  
lib. 1. c. 9.  
n. 4.

## III.

Igitur accinctus Operi, quod post homines natos  
difficillimum, maximeque arduum Romanis Sa-  
pientibus visum erat, dum sibi præclari adeò negoti-  
tij curam à Principe non modò commissam, verùm  
etiam permisam intueretur; perniciosissimus assen-  
tator multa illi velut auctori primo adscribere non  
dubitauit, quæ multo ante Iustinianum tempore  
ab alijs Principibus Iurisque conditoribus statuta  
fuerant. Assidens Imperatori, teste Procopio, vereri  
se vehementer affirmabat, ne ob singularem pietatem  
in cælum improuisò surriperetur. H̄r. d̄t̄o Teſba-

*Lib. de Vi-  
ris Illuftr.*

reñōδ ἔλλω τε καὶ ἀριος, inquit Hesychius Milesius Pro-  
copij æqualis: Erat quippe Tribonianus gentilis &  
athens. vnde Leges scribens nomine ipsius Iustinia-

*De Concep-  
tione Di-  
gester. &  
l. vlt.*

*C. de Epi-  
scopis &  
Clericis,  
alijs p.*

*Baronum  
anno Chri-  
sti 319.  
n. 26.*

*Continu-  
cap. 7.  
Leditio.*

ni ea apponere verba consueuit: *Nostrum Numen:*  
*Nostra sanxit Aeternitas:* impiosque Imperatores Ze-  
noneim & Anastasium, sententiâ Romani Pontificis  
è catalogo Imperatorum abrasos, penitusque dam-  
natos, nihilominus cum insigni pietatis titulo in Le-  
gibus à Triboniano conscriptis reperimus nomina-  
tos: cuius etiam studio factum est, vt cum Christiano  
Principum sanctionibus Christiana Religio  
abundaret, suis nihilominus fauens Ethnicis Impe-  
ratoribus, Ethnicus ipse Legum conditor atque col-  
lector in Codice Iustinianeo exscripterit Leges ipso-  
rum

rum Augustorum, ut Diocletiani & aliorum, qui Christianam Religionem persecuti sunt.

Quamobrem summi Ecclesiae Romanæ Pontifices, pœnitentiamathematis propositâ, seuerissimè prohibuerunt, Christi militiæ addictos, ciûsve Sacris initiatos, Legibus Ciuilibus operam dare; ne illarum studio fierent putidi Legulei, cantores formularum, præcones actionum, aucupes syllabarum, implicandarum litium artifex, magisque Iuris quam Iustitiae consulti; & non tam æquitatis vindices, quam textores laqueorum, quibus irretirentur miseri litigantes; & quod scitè Comicus dixit, *Legibus fundatas Republicas Legibus euerterent*. Certè talem fuisse Tribonianum illum hominem Ethnicum, quo præcipue usus est Iustinianus ad collendum & emendandum cum Codicem, quem à suo nomine Iustinianum appellauit, monet Baronius. Hic enim homo pecuniaæ quam æquitatis studiosior Ius pretio vendebat, ac pro illâ auctoritate quâ pollebat apud Iustinianum, Leges quotidie pro cuiusque necessitate vel condebât vel antiquabat, prout famelicum canem (sic eiusmodi homines, qui non quale quid sit querunt, sed quanti, a Seneca & β Bartolus appellant) aura bene nummati marsupij afflauisset.

Eodem planè sensu Ludouicus Viues de causis  
corru-

*Cap. Non magnopere. Or cap. final. Ne Clerici vel Monachi. cap. Statutum. cap. Vt periculosa. eod. in 6. cap. Super specula. de Privileg. Claudi. Clemens lib. 2. Muli. sei. scđ. i. cap. 10. Plautius in Tor.*

*a Epist. 115. β In l. Omnes populi. ff. De Iustitia & Iure.*

Lib. 7.

corruptarum artium: Quod, inquit, dicunt Tribonianum fuisse magnum & eruditione & prudentia & iudicio virum, non dubito; sed hominem nec optimum, & quem Suidas ait consueisse Leges vendere pro & tales figere ac refigere, quales congruerent ijs qui plurimum numerarent. Neque in eum clementior Cœlius Rhodiginus: Erat, inquit, sagacis vir ingenij & ad simulandum facti, impius quoque, & Christiani cultus ex professo hostis, auaritia cum primis mancipatus; sic ut ad omnem lucelli auram Leges fixerit ac refixerit: hic fraudes spirans, pestifero afflatu Justinianum Imp. ita infecerat, ut numquam moriturum persuaderet, sed viuum sentientemque in celum translatum iri.

## V. Vin &amp; iudicium Antonij Fabri? At quanti virtutib.

Lib. 8. Con*ieatur.*

c. 8. 9. 18.

Lib. 10.

cap. 20.

Lib. 11. c. 1.

Lib. 12.

cap. 1. 16.

& alibi  
passim.

L. Si debi-

tori. ff. de

Iudiciis.

In Tit. de

Padis.

Is passim Tribonianii facinora, audaciam atque inscitiam notat, & monet plus Iuris rationi tribuendura, quam illi qui secum ipse pugnans, multa de suo, nimia Iuris imperitiâ, stylo parum eleganti adiecerit; ab obscuro ad obscurius, ab absurdo ad absurdius gradum fecerit; quique inhumanas & impias manus veterum Prudentum scriptis intulerit, & barbarè loquens *cautelam*. *pro cautione* scripscerit, aliaque eiusmodi.

Sed quid Duarenus? Verum est, inquit, quod Budæus noster dictabat, Tribonianum accisas nobis Pandectas,

APOLOGETICA DISSERTATIO. 9

Etas, & mutilas verius quam compendiosas tradidisse: adeo ut quotidie nobis diuinandum sit in his, quibus, si veterum extarent monumenta, nihil erat futurum dilucidius. Neque tamen hasce reliquias, qualescumque sint, ideo respuere & auersari, sed amplecti potius & boni consule re debemus; simiamque illam imitari, quam scriptores quidam tradunt, cum catulum quemdam suum pulchellum & carum amississet, alterum fædiorem, quem prius inuisum habuerat, deperisse.

Veterum etiam Interpretum simplicitatem, in Tribopiano explicando mirè anxiam, sugillat idoneâ similitudine Bartholomæus Faius, Regius Lutetiae Senator, vbi ait, *Cæptum illud confusaneum, ineruditum ac redundans cum scribendi tum profitendi iuris genus pañum à recentioribus Jurisperitis repudiari: neque iniuriâ; cum in eo vix studijs asequendo haud multum differre ab ijs videremur qui metalla vestigant, quibus immensos montes perforare; ingentem terre vim eruere magnis impensis ac laboribus necesse est, priusquam vel ad plumbum veniant, qui argentum querunt: ac plerumque spe elusi, impensam atque operam se perdidisse perquam grauiter ferunt, indignanturque.* Atque utinam Caio Cæsari egregia illa cogitata de Iure Civili ad certum modum redigendo, ac ex immensa diffusaque Legum copia optima queque necessaria in paucissimos libros conferendo proce-  
Prefat. in  
Comment.  
Iuris Civilis  
Francisci Con-  
nani.

B

sissent.

sissent. Nam ut Iustiniani multò post Imperatoris par  
propè voluntas singularisque ratio fuerit, præcipua quæque  
Consulorum monumenta in centonem contrahendi, ne per-  
petuo aliquin intercepta opere, suas eximijs. auctoriibus  
laudes inuidenter; hæc tamen persimilitudina Tribonianis  
eius sociorum opera accisa verius quam tentata adhuc su-  
premam insignis cuiusdam artificis manum desideret. Ac-  
curauere Graculi illi ad Perpetui Edicti imitationem, so-  
lum titulorum ordinem, reliqua cuique titulo subiecta ca-  
pita & responsa, deformati seu membrorum transpositione,  
non tam corpus quam monstrum è pluribus compositorum  
operum fragmentis effingentes, vltro etiam confudere. Et  
dubio procul est, quibus nullus ferè procurando eo, quem  
in se receperant, moderato ordine rerum & sententiarum  
delectus fuerit, præfertim varijs & diuersæ sectæ auctori-  
bus in conum cogendis, non pauca inuicem obstantia ex-  
cidisse. Quin ita Architectum illum (Tribonianum in-  
telligit) parum sincerè hic versatum: quippe Leges pre-  
tio fixisse ac refixisse Suidas testatur, Procopio istius ob-  
iecti fidem sic eleuante, ut concessò interim auaritiae cri-  
mine, pñè astruere videatur. Utcumque constat harum  
aliquas sub Iustiniani nomine recens latae, ab eodem  
subinde antiquatas fuisse; alijs præpostérè adeò superin-  
ductis, ut rura ab alterâ corrigatur, non semel ab Ac-  
cursianis, tum de lana caprinâ sapissimè, præ multâ bi-  
storie

storie optimarumque disciplinarum ignoratione, sit altercatum.

Balthasar Bonifacius, mitior quidem in Tribonianum, sed in Iustinianum vehementior: *Hoc, inquit, seu iure, seu priuilegio Iustinianus, si quisquam aliis, merito gaudere potest & debet, qui nihil umquam fortiter aut sapienter fecisse, sed per ministros pleraque bene ac feliciter transfigisse visus est. Quis enim nesciat huic Imperatori belli gloriam à Narsete & Belisario; Pacis decora à Triboniano & Dorotheo fuisse parta? Si tamen quod intra sentio liberè apud te possum deponere, mibi Iustinianus nequaquam videtur bene de mortalium genere meruisse. Gemino quippe facinore, quod utrumque plerique suspiciunt, si paulò attentius rem introspicimus, ingenti posteris detimento fuit. Nisi enim Gothos etiam tum miscescentes Italiam nostram expulisset, nos eos nunc omni barbarie discussa, & ruditate detersa, optimos Principes haberemus. Et nisi huic rursum pernicioса illa incessusset libido Iuris Romanorum Civilis perturbandi, & veterum Iurisperitorum libros deflorandi, non regnaret nunc in reginam Artium Iurisprudentiam tanta soliditas & ignorantia, quantam ne in ipsis quidem Iustiniani ingenio fuisse Procopius putet, etiamsi auriculas, ut ille ait, more asinino agitaret: quamquam neque Budeus, neque Alciatus opinari possint sub Iustiniani cranium habitasse,*

quem hominem ex Suidā Analphabetum vocarunt. Neque ego quid sciuerit, quidve ignorauerit Iustinianus valde curandum, neque quā linguā, Græcāne an Latinā an Illyricā loqueretur accuratiū inuestigandum crediderim.

<sup>a</sup> Lib. 9.  
<sup>b</sup> Lēction.  
<sup>c</sup> De Iure  
uniuerso  
lib. 47.  
tit. 11.  
Tiraquell.  
in l. 11.  
Connubialem.  
num. 2.

Illud cōrò in primis contendērī, Iuris Civilis ordinandi solam diui Iulij mentem fuisse capacem, ad eamque rem aggredi oportuisse animum Iustinianos φιλοσοφίαν. Quem nimur simplicem appellat <sup>a</sup> Contius, & <sup>b</sup> Petrus Gregorius Tholosanus; stolidum, mulierosum, flexum à mulieris arbitrio in quam vellet partem.

<sup>Commen-</sup>  
<sup>tar. de Iu-</sup>  
<sup>stiniano,</sup>  
<sup>sive de Iu-</sup>  
<sup>re Neuo.</sup>

VII. Addo querelas, vota, inuectiones & lamenta doctissimi Balduini: Evidē, inquit, sēpē cogor & accusare perturbationem Iuris à Iustiniano relicti, qua nos tam misere iactat; & optare ut ille saltem Corpus Iuris concinnasset postremis sui Imperij annis. Sed cūm frustrā optando nihil quidquam conficiamus, & quod ille intruit, nobis exedendum sit; illud tantū supereſt, ut confusa Iura discernamus, si fortè possimus vel ea concoquere, vel hanc molestiam deuorare.

Quis non dixerit libros Iuris nostri miserè esse contaminatos, miseramque esse nostram conditionem, qui in ijs volutamur? sed eorum esse miseriorem, qui ne quidem sentiunt quid tractent?

Tam cavaric, tamque perplexè Ius illud inuoluit Iustinianus, & posteā, cūm Nouellas ederet, ita renoluit ac permisit

permiscauit, ut in eo frustrà & verbose recitando neque me neque lectorem meum cum fastidio fatigare existimemus esse opera pretium.

Nos miseri, & bis terque miseri, qui tales inter scupulos iactamur: sed multò illi etiam miseriiores, qui neque vident, neque sentiunt, ac ne per somnium quidem cogitant quidquam de Tribonianis siue flagitio, siue stultitia, siue audacia in Pandectarum capitibus, non iam dico compонendis, sed potius cauponandis.

Optarem euidem habuisset Iustinianus Scriptores suarum Legum diligentiores. Habuit profecto nimis verbosos; sed in rebus ipsis alioqui explicandis negligentissimos: que negligentia nostram Iurisprudentiam misere perturbat & commiscet.

Fuit certè magna Tribonianii culpa, pugnantes sententias Pandectaris inferentis: sed multò est maior, cùm id facit, vbi etiam Iustinianus alteram priùs reiecit, alteram recepit. Peccatum tamen non semel in hoc quoque genere abs Triboniano esse res ipsa loquitur: & imprudenter & verecundi sunt Interpretes (ne ineptos & insulsos dicam) qui quiduis fingunt & comminiscuntur potius, quam sui Tribonianii maiestatem imminuant; quasi verò fuerit ille diauápm̄t̄c.

Miseri Interpretes volunt, inuito etiam & reclamante Papiniano, pugnantes sententias conciliare: & propterea

nihil non fingunt, & vehementer se vexant. En quām  
sit de illis benē meritus Tribonianus, & quo iudicio in  
Pandectis consarcinandis usus sit.

Multis sentibus & spinis liberata erat Jurisprudentia,  
nisi si earum tribulos & aculeos Tribonianus Pandectis inspersisset.

Græculorum Ius Civile, Jurisconsultorum Romanorum  
disputationes illatis manibus tractantium, & ut catuli  
lacerant panniculos ( quemadmodum ait ille apud Platō-  
nem ) discerpentium hallucinationem & imperitiam po-  
tiū accusauerim.



CAPVT

## CAPUT III.

Tribonianus defensus aduersus vituperatorum  
nimiam acerbitatem.

- I. Summa Civilis Prudentia, cognitione excellit Tribonianus.
- II. Doctissimus fuit, humanissimus, minime avarus, vel ipsius Procopij suffragio.
- III. Eius stylus expensus.
- IV. Assentationis in Iustinianum Imp. falsò insimulatur.
- V. Non fuit Gentilis, neque Atheus.
- VI. Delrius, Baronius, Contius, alijq; in eum inclemintiores.
- VII. Veteres Iureconsulti contemtores diuinitarum, & aquitatis studiosissimi.

**E**XCERPTA à me suprà, & alia eiusmodi I.  
aduersus Iustinianum & eius Quæstorem Tribonianum ferè afferri solent;  
quæ si quis tecum attentiùs consideret,  
videbit haud dubiè non tam multa in ijs reprehendenda esse, quam videtur ijs qui auditâ tantum alterâ parte pronuntiant.

Vt enim de Triboniano sententiam explicem  
meam, dicam, & quidem paucis, tam me peccatum  
rum si ab eo peruestigata omnia comprehensa que-  
sse.

esse contendere in, quām si eidem, quōd interdum falsa pro veris retulerit, summam rerum Ciuitium cognitionem detraheret. Budæus quidem in Annotationibus ad Pandectas loca plurima collegit, in quibus consarcinandis ei Tribonianus dormitasse visus est: non quōd tamen desperaret fieri posse ut concordarentur, sed ut doctorum hominum ingenia potius excitaret; quemadmodum sibi à Budæo relatum Franciscus Connatus testatur.

*Apud Gil-  
bert. Re-  
gium lib. i.  
E'ustrophus  
ius cap. 2.*

Sic etiam aliquando de veris vsucaptionum differentijs contra Tribonianum disseruit Ræuardus, non ut opinioni, quam de illo viri docti imbiberant, aliquid omnino subduceret; sed ut veritati, quæ in disciplinis omnibus principem tenet locum, fideliter inseruiret. Neque enim cuiquam vim quam contigit nusquam offendere; & maius est quām ut conuenire in humanam fragilitatem queat. Atque in tantâ veterum disputationum copiâ cautele vbiique non potuit Tribonianus, quin imprudens in Pandectis relinquenter subinde eatumdem vestigia, ut fusè docuit Balduinus: qui tamen, quem paulò ante obliniosum appellauerat, illatæ iniuriæ immemor, alibi passim, & præsertim in hoc Vscapionum argumento, *bene memorem* Tribonianum scribit. Cum iam pridem, inquit, *quicumque in orbe Romano habitabant,*  
*erant*

*Comment.  
de Insti-  
tutio, sive  
de Iure  
Romano.*

erant Ciues Romani, sic & omnes prouinciae ~~et~~ regiones huius Orbis, Juris Italici intelligi esse debebant. Sed ut longum tempus ex prouincijs in Italianam induxit loco bien-nij (hoc est, prædia iuris Italici citius vsucapi voluit, quam quæ olim non erant iuris Italici) sic rerum mobilium vsu-captionem non vnius anni, sed triennij esse debere statuit Iustinianus; cuius quidem Legis nouæ, & mutationis benè memor Tribonianus, ubi veteres meminerant anni aut biennij, in Pandectis cantè scripsit tempus statutum, constitutum, Lege definitum, sèpè etiam longum aut diutinum, ubi veteres biennium dixerant.

L. Vnicā.  
C. de Vsū-  
captionibus  
transfer.

Hunc sanè Scriptores antiquiores plerique omnes II.  
ita prudentem Iuris, ita litteris institutum existimau-  
runt, vt se illi in omni scientiâ nemo auderet com-  
parare. Ad summam peruererat eruditionem, nemini sue  
etatis inferior, auctore Suidâ. Vir erat moribus & di-  
sciplinâ omnium artium nulli secundus, Procopij suffra-  
gio; eodemque teste (ne facilè apud quemquam vt  
homo superbissimus, aut pecunie ad miraculum  
audius male audiat) eodem inquam teste, iustum se-  
dabatur lucrum naturâ mitis & humanus. Vnde appa-  
ret illum, quod ab Imperatore a Constantino iure  
vetitum sciebat; numquam existimationi suæ im-  
mensa atque illicita compendia prætulisse. Et mirum  
profectò, Franciscum & Guinetum, eximium alioqui

Lib. 1. de  
Bello Per-  
fico.

<sup>a</sup> L. 5. C. de  
Postulando. Vide &  
Auth. de  
Iudicib. ac  
Franc. Polo-  
let. Hisce.  
Fori Ro-  
mani lib. 5.  
cap. 10  
<sup>b</sup> In Insti-  
tutio-  
nismo  
Magnos.

C

Tribo-

Tribonianī propugnatorem, ad hunc Procopij locum animum non aduertisse. ait enim : *Supereft auaritiae crimen, quo Tribonianus absolui non debet : grauissimorum enim testium fide conuictus tenetur, qui constanter eum huius cupiditatis luto respergunt ; cum hac tamen modestia, quā profitentur vnam auiditatem pecunie summas viri præstantis virtutes infecisse, istamque ipsam labem eius eloquentiae & moribus suauissimis facile condonatam: adeò ut nullus ei unquam, ne leui quidem contumeliam insultauerit, nisi quod insanâ seditione populus furens à Justiniano, lenire lymphatos animos tentante, aliquando extorsit, ut magistratu deiceretur : sed mox tumultu deferuerente restitutus est, ac deinde cùm vitam placidam quieto cursu egisset, senex facili exitu solutus est.*

III. Ad stylum illius quod attinet ; haud equidein prouersus negauerim quædam esse in ipsis Institutioribus, quæ non usquequa Romanam in dicendo puritatem atque elegantiam redoleant : neque inficior, vt alia omittam, Triboniano satis familiare fuisse, dictiones *quatensus & competenter* in Constitutionibus frequentissimè usurpare, quas vix ac ne vix quidem eo sensu in Iureconsultorum scriptis, adeoque priorum Imperatorum responsis repetas. Sed vt omnis peregrini sermonis illuvies, quantum rerum natura patitur, Iureconsulto vitanda est ; ita etiam

*Anton. En  
ber lib. 6.  
Coniectur.  
cap. 19.*

etiam interdum rebus magis quam Suadæ litandum est; neque magnoperè curanda delicata illa & nimium affectata quorundam elegantia, qui si fortasse legant, Cognatum propter seruitutem capite minutum; nequidem si manumissus fuerit recipere cognitionem; vel ex Lege XII. Tabularum, Nequidem inter matrem & filium, filiamve ultro citroque hereditatis capienda ius dari; protinus exclamet cum Augustino Datho Senensi, Indignum facinus! hoc non dici nisi locutione violentâ: inter hæc verba ne & quidem, semper interuenire aliquid necessariò debere, ut rectè de Excusationibus Tutorum: Propter aduersam valetudinem, propter quam ne suis quidem negotijs interesse potest, excusatio locum habet. Itemque de Inutilibus Stipulationibus: Qui in potestate parentis est impubes, ne auctore quidem patre obligatur. Sed circa minutias hasce languere, sine quarum explicatione summa Legis æquè constiterit, quantulum obsecro laudis habet? Habeant sibi suas particulas Grammatici, & aduerbia colant ut Pandectas Orationis: ab Homero Vlyssis errores quotidie inquirant, suos vero minimè: Philoctetæ mala bene cantent, sua bona male disponant. Laurentius Valla, ut maximæ vir doctrinæ, ita & supra vires suas audax, nec à Iureconsultis quidem temperauit, quo minus illis diem diceret, &

s. Quod autem.  
Inst. de Capitis de-  
minut.  
Inst. de S. C. Ter-  
tulliano.

Cuiacius  
lib. 23.  
Quæst. Pa-  
pinian.  
Andr. Al-  
ciatus Ora-  
tione ha-  
bita Aue-  
nione. Ex-  
istat Tom. 2.  
Idemque  
lib. 4. de  
Verbor.  
Signific.  
num. 10.

de verborum quorumdam significatione, seu Latinæ maiestatis læsæ reos faceret : cuius accusationis nouem & viginti capita breuiter confutauit Alciatus; tum ut tantam eius arrogantiam, certè φιλαυτίαν, aliquatenus retunderet; tum ut hi litteratores non esse temerè à nostris recedendum cognoscerent, & ve- riōta à Iureconsultis etiam in alienis professionibus tradi, quam ipsemēt Valla, alioquin Grammatico- rum præstantissimus, in propriâ arte commentari potuerit.

Aufugiant itaque à nobis hi Aristarchi, qui vocabula, eorumque usum atque ordinem non admittunt, nisi cum fideiussore quopiam antiquo. Si enim fortassis exciderit homini Græco vox ignota castæ Latinitatis principibus, quæque ius civitatis non sit adepta; si quod verbulum iam senescente Latini sermonis puritate, ex alterius linguae face Romanæ adhæserit, non ex eo statim sequitur, barbarè ubique locutum Tribonianum. Durus ille quidem & asper, quod de Ammiano Marcellino dici solet, si cum Augusti æuo conferatur: sed tamen ornatus interdum, & suos habens lepores; atque ut in senticeto rosæ nonnunquam & lilia succrescant, ita in huius aspriti velut flosculi quidam elegantiarum urbana- rum renident.

IV. Mi-

*Amos.  
Augustin.  
I. 2. Emen-  
dat. cap. 1.  
Francise.  
Connarus  
Comment.  
Iuris Civil.  
lib. 10. c. 2.  
num. 12.  
Budeus  
1. Parte.  
Anno, in  
Pandect.  
Lindenbro-  
gius Pref.  
in Am-  
mian. Mar-  
cellum.*

Minimè verò mirandum, si fortè Græci, atque I V.  
 inter eos Tribonianus, florente Republicæ statu,  
 Imperatorem aliosque Principes viros, non tam di-  
 gnitatum vel officiorum indigetamentis, quam ina-  
 nium titulorum crepitaculis extulerint; cùm ne ho-  
 die quidem, aecisis rebus & pressi iugo seruitutis,  
 hac in parte certis terminis coerceri posse videan-  
 tur. Si tamen ex æquo & bono nobis accedant ho-  
 norarij arbitri, numquam passuros eos esse confido,  
 vt in re falsâ Tribonianus in ius vocetur, litemque  
 illi quisquam de nimia in Iustinianum adulatione  
 contestetur, quasi primus Leges illius nomine con-  
 scribens apposuerit hæc verba: *Nostra sanxit Aeterni-  
 tas*: quæ multò antè in Constantio Imp. deriserat  
 Aiminianus. Imperatores passim *Sacratissimi & Diui-*  
*nissimi* appellantur: eorum diplomata *Sacrae, Diuinae*  
*litteræ* nuncupantur. Orbiculari illo diademate (quod  
 dijs olim Gentilitas, nos Sanctis viris tribuimus) re-  
 dimita Imperatorum capita in eorum numinis nónne  
 videmus? Ea porrò non meriti, sed Imperialis &  
 Regiæ dignitatis prærogatiua est.

Nam de Tribonianī Paganismo quid attinet di- V.  
 cere? Scriptum disertè ab Huberto Giphanio I C.,  
 celeberrimo, illum falsò tantæ cætitatis insimulari,  
 traduciique erroris, cùm tot præclaras Leges de Chri-

*Lib. 15. in  
Princip.  
Alemannus  
in Notis ad  
Arcanam  
Procopij  
Historiam.*

*Commenta  
de Imp. Iu-  
stiniano.*

stianâ Religione planè Catholicas eo dictante Imperator Iustinianus diuulgarit, & Magistratum nisi Christiano capere nemini tum licuerit. Vnde aperè idem Imperator, vbi de Compositione Digestorum: *Omnia, inquit, confecta sunt, Domino & Deo nostro IESV CHRISTO possibilitatem tam nobis quam nostris in hoc SATELLITIBVS præstante.* Et fuit qui quandoque suspicaretur, Caium; magnum illum Iureconsultum à Iustiniano siue Triboniano *Negomini strum* appellari, quòd Christi fidem prôfiteretur. Addo ego, passim in Legibus *Crucis* vocabulum in *Furca* nomen à Triboniano comutatum, aliquo saltē Christianæ Religionis indicio. Exempla multa sunt, & iam ab alijs notata. Pari calumniâ Belisarius falsò notatum ab Aimoino docet Nicolaus Alemannus ex ipsamet Procopij Arcanâ Historiâ; quippe qui adolescentem Theodosium, parentibus qui cum Eunomianis sentirent in Thraciâ natum, domi aluerit, cumque iamiam in Africam transmisfur Diuino lauacro lustratum suis exceperit manibus, & vnâ cuī vxore Antoninâ filium adoptauerit; quo more Christiani consueuerunt liberos adsciscere.

His lubet adiungere præclaram Tribonianî defensionem à Francisco Guineto i.c. institutam, cā Lucubra-

Vaccia in  
Proœmio  
Digestor.  
§. In his.  
§. Quas ex  
omnibus.  
in Proœmio  
Instit.

Lucubratione quam IUSTINIANVM MAGNUM inscripsit: *Inter delectos heroas captiuam Iustitiam confusione erepturos, toto vertice unus eminebat Tribonianus, dux operis à Iustiniano dictus, ut eius incredibili sagacitate aliorum industria gubernaretur.* De hoc Triboniano, de cuius ingenij nobilitate nemo dubitat, famam ambiguam scriptorum alijs dissiparunt, alijs scuiores collectâ infami criminum nube totum hominem iniqui rumoris amarâ inuidiâ perfuderunt, quasi nullum scelus quantumvis dirâ facie occurrentis horruerit; & singulis moribus adeò profligatam improbitatem assueuerit, ut non alijs quam sua libidinis finibus fas atque nefas discerneret. Ista verò scriptorum, iracundia feroci detonantium, accusatio omnis duobus in criminibus vertitur, Avaritia & Impietate, siue, ut loquuntur illi, Paganismo: quia nempe aiunt eum mirabili fraude (si memorare dignum est) illusum Iustinianum induxisse, ut serio crederet immortalem se esse, & in celum certò euolaturum corporis vinculis non exolutum. Sed hæc ridicula vanitatis plenissima fabula, Graculæ scriptoris solemniter delirantis somnium est, non Tribonianii crimen. Nam, ô bona anus! quanti ludibrii hocce portentum? Christianissimum Principem, religiosæ pietatis laudibus inclytum, hostium cœli hostem acerrimum, eleganti eruditione per quotidiana Episcoporum colloquia imbutum, in tam frequenti consuetudine cum Pontificibus Romanis, iam

iam declivi ætate, toties violentiâ morborum in extrema  
vitæ angustias proiectum sibi viuo cælum sperasse? hanc  
opinionem intimè insidentem animo haufisse, extra mortis  
ictum se versari? quodque magis mirere, omnes eiusdem  
temporis scriptores tam deuia stultitiae memorabile exem-  
plum aut oblitos aut nesciuisse? vni post quingentos annos  
nonnulli auctori per oraculum fortè admonito non ex-  
cidisse?

Ipsæ Andreas Alciatus, poste aquam retulit ex  
Suidâ, Tribonianum hominem fuisse Græcum, omnis reli-  
gionis contemptorem, & præsertim à Christianâ Fide ab-  
horrentem, adulatorem ac fraudulentem; mox mitiora

Lib. 4. Dis-  
puñet. c. 7.  
Vide Gre-  
gor. Lopez.  
Pref. Libri  
Singular.  
Animad-  
vers. &  
cap. 7. n. 4.

subiungens: Sunt tamen, inquit, qui aliter de Tribonia-  
no sentiant, nec temerè Grammaticis de Iureconsulto cre-  
dendum arbitrentur: quandoquidem etiamnum videamus,  
& sèpissimè experiamur, quanto supercilios id hominum  
genus, quo iure, quâ iniuriâ, & mortuos & viuentes in-  
seletur; quamque suis in studijs hi sibi placeant Moriæ  
beneficio felices, alios omnes contemnunt: & epistolis ante-  
ipso Legum Codices præfixis, Accursium, Bartolum, cete-  
rosque acerbissimis conuicijs dilacerent: Imperatoris sui  
Laurentij Vallæ exemplo prouocati, cui mortuo honos hoc  
Epitaphio habitus fuit:

Tandem Valla silet, solitus qui parcere nulli est.

Si queris quid agat; Nunc quoque mordet humum.

Quod

APOLOGETICA DISSERTATIO. 25

*Quod sanè carmen longè magis ipsis quam Valle conuenisset, cuius doctrinæ pleraque eiusmodi condonanda sunt: at hi ea maximè reprobant quæ non intelligunt.*

Sed Gentilis fuerit Tribonianus ( nam obiectum illi avaritiæ crimen iam suprà diluimus ) Deique Optimi Maximi beneficio lucem veritatis per Christum omnibus affulgentem, magno suo malo, haurire noluerit ; non ijs tamen tenebris immersum fuisse par est credere, vt negauerit præstantem aliquam aeternamque esse naturam , & eam suspiciendam, adorandamque hominum generi ; cum Iuris naturalis firmitatem atque constantiam, quam Naturæ forsitan creatæ a Romani Iureconsulti tribuebant, ipse merito adspicerit Providentiaæ Diuinæ.

Agedum videamus, in quos errores, viros etiam VI.  
magnos, deque Republicā litterariā optimē meritos,  
Tribonianī impugnandi studium impulerit. Fallun-  
tur Iuristæ, inquit Delrius, qui existimant Iure Ciuli li-  
cere maleficijs & uti in bonum finem: nempe ad curandos  
morbos, & vel ad repellendas tempestates, ut Hostiensis in  
Summâ, Azo in Summâ, Petrus Ærodinus libro Rerum  
iudicatarum, Bartolus, Salycetus, Godefridus & alij in  
l. Eotum. C. de Malefic. Troilus Maluetius de Sortibus,  
Grilland. de Sortilegijs, & alij communiter. Dico fallun-  
tur, quia Legem illam Constantini, quâ nituntur, recentiore

D

Lege

¶ L. Om-  
ne. 9. ff. De  
Iustitia &  
Iure.  
§. Sed na-  
turalia.  
*Inft.* De  
Iure Na-  
turali,  
Gentium  
& Ciuali.

Lib. 6.  
Disquis.  
Magicar.  
q. 2.

Lege sustulit postea Leo Imperator Conf. LXV. ad Stylianum, de Incantatorum pñâ, ut recte aduentunt Nicolaus Remigius, Petrus Gregorius & Godelmannus; quam quod Tribonianus homo planè scelestus prætermiserit, causam aliam non video, quam quia ab omni erat pietate & verâ religione alienus. Hactenus Delrius, non sine insigni lapsu & metachronismo: neque enim potuit Tribonianus Leonis Constitutionem laudare, qui huius nominis Imperator VI. Basilij Macedonis filius, annis plusquam trecentis à Iustiniani ævo floruit. Quâ de re audiendus Henricus Agylæus Leonis interpres, qui ante annos fermè centum in eius Constitutiones Vesontione, Maximâ Sequanorum, ita præfatus est: *Cum Iustinianus Princeps Ius Ciuale ex veterum varijs multiplicibusque scriptis in compendium redigisset, ac insuper pro rerum postmodum emergentium naturâ Constitutiones scripsisset, eaque in eam quam videamus multitudinem atque molem excrevissent; is verò eius labor Basilio Macedoni Orientis Principi multis de causis displiceret; communicata ipse cum Constantino ac Leone filijs suis operâ, quecumque ille eiusdem argumenti diuersis locis tractasset, sub suis titulis collectius digessit: quæ obscuriora viderentur, apertius perscripsit: verboſitatem reſecauit: ac denique prout mutatum Reipublicæ statum postulare putabat, alia reiecit, alia reformauit, alia nouiter intro-*

introduxit. Quo ipso in opere, cum post patris fratriisque obitum sceptra Leo solus obtinens nonnulla partim non probaret, partim requereret; continua, ut facile coniugere est, scriptione correctis, adiectisque quae viderentur, velut colophonem illi addidit, summamque manum illi imposuit. Singulas autem res singulis ferè Constitutionibus inclusit, atque ita diligenter quasi rationibus communivit, ut non iubet Leges, sed persuadere posse videatur. In quo profectò cognomini suo respondere voluit, ne cum alijs in rebus omnibus Philosophus dici mereretur, ubi præcipue prudentiam suam exerere deberet, sui dissimilis esset. Ita quidem Agylaeus; & rectè, si chronologiam spectes: non tamen hoc loco prætermiserim Claudiij Chiftetij I.C. Sequani, Propatru mei, iudicium planè contrarium de Leone Imp. deque præstantiâ Iuris à Iustiniano relicti: Ipse, inquit, Iustinianus veterem reparaturus Iurisprudentiam, tantam ipsi antiquitati reverentiam habuit, ut multis in locis Iuris desuetudine inumberati vestigia superesse voluerit, ne antiquitatis memoria et primæ illæ Legum Romanarum origines ignorarentur ab ijs, qui Legibus Romanis viuerent. Dissimili multò proposito atque Basilikorum auctor Leo, qui non contentus Iustiniani Iuris Civilis editione, rapsodiam aliam Legum Romanarum Orienti inuexit, à priore illâ usque adeò degenerem, ut tantum Iustinianus à Leone distet, quan-

*Disquisi-  
tione de  
Secundo  
Capite  
Legis  
Aquilie.*

tum qui Parrhasij aut Apellis tabulâ repertâ, picturâ iam  
vetustate semesâ & fugiente, delere tamen antiquæ &  
nobilis picturæ reliquias manuult & nouam superinducere,  
ab eo, qui corrupta picturæ loca, eo quo potest modo re-  
farcire ac reparare, & integras diuini operis partes con-  
seruare potius, quam perdere studet. Videtur enim Leonis  
hoc studium fuisse, ut Romani Iuris gloriam maiestatemque  
deleret prorsus & extingueret.

Crediderit haud dubiè doctissimus Delrius, non  
hunc fuisse auctorem Constitutionis de Incantato-  
rum pœnâ, sed alium Leonem Iustiniani Imp. de-  
cessorem; cuius, & cum elogio quidem Inclytæ re-  
cordationis, meminit Tribonianus, ita ut quo se-  
cunq[ue] vertat Delrius (pace tam præclarri Scriptoris.  
dixerim) errorem malè subducti calculi magno viro-  
iniuriosum excusare non possit. Ait enim Iustinian-  
nus in Institutionibus, Tribonianii stylo exaratis,  
De Inuti-  
libus Stipu-  
lationib.  
§. Item si  
quis.  
¶. l. Præ-  
posteri.  
C. de Te-  
stam.  
hanc stipulationem, *Si nauis ex Asia venerit, hodie dare spondes, inutilem olim fuisse, quia præpostere concepta esset: sed se talem conceptionem confir-  
masse; Quod LEO INCLYTAE RECORDATIONIS, in dotibus eamdem stipulationem, quæ præposta nuncu-  
patur, non esse reijciendam existimauerit.*

VII. At enim suis fauens Ethnicis Imperatoribus, no-  
Vide suprà  
cap. II.  
num. III.  
tante Baronio, Contio, alijsque, ipse Ethnicus Legum  
conditor

conditor atque collector Tribonianus malitiosè in Codicem Iustinianum eorum Leges inuexit, ut Diocletiani & aliorum, qui Christianam Religionem persecuti sunt.

Non damno querimoniam, quæ ex odio Gentiliæ superstitionis & fidei pietate promanat. Verùm quamvis impij, & omnibus modis à Christianâ Religione alieni fuerint, non continuò quidquid editè, impium est; præsertim cùm in suis Constitutionibus edendis Iureconsultorum operâ ferè vñi sint, qui minimè fallaces, contemtores diuitiarum, adeoque æquitatis studiosissimi fuere. Quid enim ab his tam longè alienum fuit, quām ratio fallendi, cùm ceteros ab omni fraude cohiberent, & correctores prauitatis humanæ, æquum ab iniquo separarent, licitum ab illico discernerent, bonos denique non solum metu poenarum, verùm etiam præmiorum exhortatione efficerent?

Voluntas fingendi ac mentiendi corum est, qui opes appetunt, lucra desiderant; quæ res procul dubio ab antiquis illis Iurisprudentibus absfuit: ita enim delegato sibi officio fungebantur, ut derelictis omnibus, vix ad tutelam vitæ necessaria possiderent.. Atque adeò cùm Legati Ætolorum, auctore Plinio, Sextum Ælium Iureconsultum in Consulatu pran-

*L. Diui  
fratres.  
ff. De Iure  
Patron.  
Cuiacius  
l. 19. Quaest.  
Papinian.*

*L. 1. §. 1.  
ff. De Iu-  
stiniâ &  
Iure.*

*Histor.  
Naufragii.  
lib. 33. c. 2.*

L. i. §. 4.  
ff. De Ex-  
traord.  
Cognitio-  
nib.

dentem in fictilibus adiissent, missa ab ipsis vasa argentea non accepit; neque aliud habuit argenti ad supremum vitæ diem, quām duo pocula, quæ Lucius Paulus sacer ei ob virtutem donauerat. Ipsi Iuris Antecessores hoc primū profitebantur; Mercenariam operam spernere, ne Ciujem sapientiam, quam Vlpianus rem sanctissimam vocat, pretij numimarij aestimatione dehonestarent. Ergo à quibus abfuit studium lucri, abfuit etiam voluntas peccandi, & caussa fallendi, vt rectè scribit Lactantius.



CAPVT

## C A P V T I V.

Iustinianus Imperator doctrinâ & moribus  
verè magnus.

- I. *Iustinianus sapientissimus Imperator, Princeps doctus.*
- II. *Cur diuortia suis Constitutionibus admiserit.*
- III. *Laudatur ab Alemanno Procopij interprete.*
- IV. *Balthasaris Bonifacij iudicium de eiusdem Procopij Arcanâ Historiâ.*
- V. *De Iustiniano Imp. Sanctissimi Romana Ecclesie Pontifices honorificè locuti: quantum eius industria & sollicitudini debeant Ciuitatis Prudentia Studiosi.*
- VI. *Anaritia labem, aperto-mendacio, optimo Principi inurit Procopius, in seipsum iniurius.*
- VII. *Quid causa sit cur multa de personis Ecclesiasticis statuerit.*
- VIII. *Studium Ciuitatis Prudentia à viris Religiosis & Sacris initiatis in pretio habitum.*
- IX. *Iuris utriusque cognitio Iureconsultis necessaria.*

**P**OTVIT ad hæc Iustinianus, quem meritò Theodahatus Rex Gothorum modò Sapientissimum Imperatorem, modò Principem doctum appellat apud Cassiodorum, potuit, inquam, Iurisprudentiâ pollens, & Christianus Imperator, mulieris captiuæ radere caput,

Lib. 1. Ver.  
Epist. 9.

& 22.

put, vt habetur in Deuteronomio, supercilia & vngues amputare, ac sic illam habere in coniugio; potuit sugerentibus Episcopis Constantinopolitanis Epiphanio & Mennâ, hominum Ethnicorum sapientiam, in salutem generis humani, de ancillâ atque captiuâ Israëlitidem seu Christianam facere, & quidquid in eâ mortuum erat, idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum vel præcidere vel radere. Hinc muliebres & profanos funerum lessus conuerit in cantus sacros, & Præficarum loco Psaltrias substituit. Hinc ab illo omissa omnia quæ ad Sacra Gentilium pertinebant, quorum ius erat penes Collegium Pontificum, secundùm ea quæ Numa statuerat: hinc laudauit suorum temporum castitatem, reiecit veterum, si non Romanorum, vt voluit Ræuardus, at certè Græcorum & Lacedæmoniorum licentiam,

*Inst. Qui-  
bus modis  
tutela fi-  
natur.*

*Lib. 4. Va-  
rior. c. 10.*

*Plato lib. de  
Legib. II.*

qui ætatem ad nuptias idoneam ab in honestis & obsecenis nudatorum corporum inspectionibus æstimabant. Et licet fortassis Iure Civili toleretur & concubinatus; quia tamen, vt β Marcellus ait, Concubina non habet honestatem; primique Iuris præcepti apud viros bonos ea vis est, vt non modo quod liceat spectent, sed magis quod honestum est, omnes boni eam abominabuntur: idemque juris erit apud illos de donationibus erga meretrices, quas Lex quidem

*¶ L. 1.  
§. vlt. ff. De  
Concubin.*

*β L. Stu-  
prum.*

*ff. De Ritu  
nupt.*

*L. Affe-  
tiones.*

*ff. De Do-  
nationib.*

quidem omnino non prohibet, sed tamen iudicat esse inhonestas.

Si quis præterea miretur, Iustinianum (qui toties II. se Christianum, & sacrorum Canonum cultorem defensoremque esse, Ritusque Paganorum damnare a profitetur) β diuertia suis & anteriorum Principum, quas Codici suo inseruit, Constitutionibus admisisse; equidem non illud sentiam quod γ Alciatus, seu Legem istam Christi, quā coniunctos separari vetuit, aliter primis saeculis intellectam fuisse (id enim confutauit δ Didacus Couarruias) verū dicam potius cum ε Gudelino, diuertia, usuras, concubinatum, multaque eiusmodi, quae ex Legibus Ethnicorum inualuerant, nondum in orbe Romano penitus tolli potuisse. Sustulerat dudum ζ Constantinus pœnas cœlibatus; tollebant & posteriores Principes paulatim alia veræ Religioni aduersantia: & quae permittebant, existimandum est eos permisisse, vel potius dissimulasse, non tam approbando quam necessitate & statu Reipublicæ hoc exigente, donec crescente quotidie Religione, consensuque populi Paganica ista euanuerunt. Ad rem facit monitum η Ræuardi, ubi ait, *Iustinianum Imp. eam dedisse Triboniano in Prudentum Responsis digerendis auctoritatem, ut illud omne quod Pandectis inclusum est, ad sui tem-*

<sup>a</sup> C. De  
summâ  
Trinitate  
& Fide  
Catholica,  
tot.

<sup>b</sup> Tit. De  
Paganis &  
Sacrificijs  
eorum.

<sup>c</sup> Franc.  
Balduin. in  
Iustiniano.

<sup>d</sup> Lib. Pa-  
ginaur.  
c. 20. &  
Duarenus  
ad Tit.

<sup>e</sup> ff. De Di-  
uortiis.

<sup>f</sup> Lib. 4.  
Epitom.  
Decretal.

<sup>g</sup> p. 2. c. 7.  
§. 4.

<sup>h</sup> Lib. 1.  
de Iure  
Nouissimo  
cap. 10.

<sup>i</sup> L. 1.  
C. De In-  
firmand.

<sup>j</sup> pœn. cœ-  
libat.

<sup>k</sup> Lib. 4.  
Varior.

<sup>l</sup> cap. 19.

*poris rationem accommodari evoluerit. de quo etiam audiendus Nicolaus Alemannus Praefatione ad Arcanam Procopij Historiam.*

III. *De partis, inquit, victorijs, Imperioque Romano propagato nihil attinet dicere, cum sola modò reliqua illorum memoria sit. Constitutiones autem ab eo sapientissimè conditæ, vel veterum Imperatorum Leges uno in Codice ordine distributæ, vel antiquorum Sapientum Responsa ex immensâ congerie, summâ Studiorum facilitate ac breuitate digesta, vel hæc eadem ad Institutionis modum enucleata, eam Iustiniano gloriam pepererunt, ut undecim iam & amplius hominum etates eamdem quasi per manus acceperint, fouerint, & magis ac magis amplificauerint. Nec sanè facilius Iustiniano quidquam fuit quam vel hanc solum ob rem gloriae ac nominis laude reliquos omnes Romanos Principes infra se ponere; cum illi pro suorum quisque facinorum præstantia, in Romana Rep. velut in Theatro, alius alio vel humiliore vel editiore loco titulos nomenque sibi statuisse videantur; ipse verò, qui Romanis Legibus suum præfixit, eminentissimum locum atque æternum inuenierit. Quamobrem in tanto publici famoris applausu sinistri de eo rumores pænè siluerunt, ac tantâ gloriae ac temporis diuturnitate omnis de illo ingrata memoria exoleuit. Exoleuit autem tum apud alios, tum apud eos presertim, qui cum dies noctesque assidui cum Iustiniano sint,*

*cam*

eam de illius iniustiâ, temperantiâ, pietate, innocentia conceperunt animo opinionem, quæ non rebus ab eo gestis (ad quas parum fortassis intendunt animum) respondeat; sed quæ latis ab eo Legibus conueniat; in quibus nihil ferè est quod non ad absolutam virtutis normam scriptum inueniant, & quasi in imagine suis coloribus expressum contemplentur. Neque ipsis quidem aliter de Iustiniano sentire præstat, cuius commendationem non minimum esse suorum studiorum ornamentum putant. Quod animo futurum præfigiebat Nicolaus Alemannus, re ipsâ suarum partium esse credidit Thomas Ruius Iureconsultus Anglus, qui aduersus Procopium, post veras laudes in Iustinianum congestas, turpiter à seipso descisceret, eiisque interpretem Alemannum calarium stringens, Iustiniani Imp. defensionem ex professo suscepit.

Facti historiam Balthasar Bonifacius sic expressit I V. in Epistolâ ad Dominicum Molinum, quem veritatis assertorem, obtrectationis & calumniæ depulsorem vocat. Et quod unum, inquit, maximè omnium sitientissime auere solet mortalium curiosa cupiditas, mortuum vidi ab inferis excitatum; nec vidi solum, sed hisce manibus contractavi, fecique adeò mihi familiarem, ut collatis etiam capitibus, de rebus arcanis colloquiamur, siue potius confabulemur. Tu mihi, Domine, reducimus Procopium, eius,

inquam, A*n*rido*G*, hoc est, vt eius interpres de suo addit,  
Arcanam Historiam (quam ego disperisse funditus, & ad  
nihilum reuertisse, si modo quidquam fuit vniuersaliter, exi-  
stimabam) integrum, incolumem, ornatam, laetam, imò  
etiam cerussatam & calamistratam ostendis. Sed & aliud  
portentum mirabilius ostendis, immortalem, inquam, vi-  
rum, homuncionis pugione tanquam Diomedis gladio con-  
fossum, obtruncatum & contrucidatum, Anglicanæ cuius-  
dam necyomantie miraculo vite restitutum, de suis se ho-  
stibus vleisci, mortuumque de viuis triumphare. Inter Iu-  
stiniani titulos, illum quoque legimus, quo se, cùm de bar-  
baris gentibus victis ac domitis nomina sibi ascisceret,  
non solum Gothicum & Vandalicum, sed etiam Aleman-  
nicum appellabat. Pernegatum porrò fuit à quibusdam,  
suisse ab eo Principe Alemanno prælio superatos, & Ro-  
mano Imperio subiectos. At verò ille Princeps, præscius  
videlicet præclaræ admodum & memorabilis olim victo-  
riae, quam vel mortuus, iamque in atomos & fauillas re-  
dactus, post millesimum & centesimum annum relaturus  
erat, eo titulo etiam tum viuis uti voluit. Nunc demum  
Iustinianus verè Alemannicus nuncupatur, profligato Ale-  
manno, eiusque ceruice deiectâ, qui se supra Augustos ere-  
xerat. Quamquam verè non suâ manu rem ipse confecit,  
sed per Riuum Legatum suum, ipse tamen gesuisse video-  
tur, cuius auspicijs gestum est bellum. Et nonnullis in-  
teriectis,

teriectis, quorum antè meminimus. Quod autem, subdit, ad Procopium attinet, eiusque interpretem Alemannum, ego neutrum laudare possum. Primum enim Avidio illa Procopiana, putidam potius rabidi cuiusdam syllographi satyram, quam incorruptum rerum gestarum scriptoris monumentum esse pronuntio. Germanus ne commentarius ille sit, an commentarius & adulterinus, mihi, ut verum fatear, nondum satis liquet; & miror à Ruiio non ei motam de statu questionem: non enim minus interest rei litterariae certos & legitimos Auctores agnoscere, quam fictos & suppositios explodi. Tum deinde Historicas notas Alemanni, quamquam hominis utriusque sermonis intelligentissimi, & bonorum Auctorum assidue lectione doctissimi, eo nomine nequaquam laudauerim, quod tot Iustiniani dedecora verè an falso prodiderit. Certè si librum hunc scripsit Procopius, ingratum & infidum se Principi suo fuisse negare non potest, à quo per omnes dignitatum gradus ad summum in Romana Republica honoris apicem sit proiectus: ut verè de eo prædixisse Juvenale videatur:

Si fortuna volet fies de Rhetore Consul.

Nam de Rabula & magistello Praefectus Aeternæ Vrbis dictus est Procopius à Cesare Iustiniano; in quem modo tamquam Cossi equus detracto fræno insolenter incurrit & furiose debacchatur. Ceterum ipse sibi suisque historijs

fidem abrogauit, cùm huiuscemodi palinodiam importunissimè recantaret: ~~et~~ omnem sinceri Scriptoris gloriam; quam sibi octo prioribus libris comparauerat, hisce ineditis (quæ cotinam semper inedita permanissent!) corrupit ac depudicauit. Cui sanè vel pueri, quos ille in arte dicendi erudiebat, illud Catonis obijcere potuissent:

Laudaris quodcumq; palam, quodcumq; probatis,  
 Hoc caue ne rursus leuitatis crimine damnes.  
 At quomodo tandem damnat, quos paulò antè effusè laudauerat, ac tantum non Superis inseruerat? Quomodo, inquam, damnat? quo pudore, quâve impudentiâ? non equidem lego Historicum, res uti gestæ sunt enarrantem, sed intentissimâ voce declamatorem tragædias excitantem.  
 Si per alterius cuiuspiam Angli sciomantiam reuixerit ~~cum~~ quam Plutarchus, qui Herodotum scripto in eum libro non sine amarulentiâ damnauit malignitatis; multò acrius & multò etiam iustiùs inuehetur in hunc Procopium, cuius profecto est heroica malignitas: nam quemadmodum Heroum virtus definitur esse virtutis quedam hyperbole; ita huius consummatissima improbitas non ineptè ~~sunt~~ sitan improbitatis hyperbole dici potest. In summâ sic statuo, esse in hac, cuiuscumque illa sit Auctoris, rhyparographia loquentiæ satis, licentiae nimis, insolentiæ plus nimio; multum liuoris, plus odij, plurimum inscitiae; parum ordinis, minus facundiæ, minimum iudicij, nihil memoriæ, minus nihil

nihilo sinceritatis. Quorum tamen criminum non censeo Procopium temerè condemnandum: fieri enim potuit, ut ab aliquo non huius etatis nebulone Pseudo-anecdota illa fuerint confecta, ut nos aliquando, spissâ quadam caligine circumfusi, pro Iunone crassam nebulam amplectentes, inter nebulones cum ipso pariter huius sycophantie constru-  
etore numeraremur.

Atque hæc Bonifacius pulchrè, eleganter, ornatè. V.  
 Quid enim, nequidquam reclamante seu vero seu  
 pseudo - Procopio, Iustinianum Imp. magnopere  
 suspiceremus, de quo etiam vitâ functo S. Grego-  
 rium & S. Agathonem Romanos Pontifices hono-  
 rificè locutos esse constat? cuius industriae & solici-  
 tudini debemus, quod præclara illa veterum Iuris-  
 prudentum & Legislatorum monumenta summo  
 totius orbis bono habeamus concinnata? Magnâ  
 laude, inquit Franciscus Connarus, dignus esse videtur  
*Iustinianus, hoc tam gloriose dicam an audaci fatto? qui*  
*squalenti huic Commentariorum sylva primus securim in-*  
*icerit.* Alioquin nempe futurum erat, ut desudati illi  
 veterum labores egregij iam essent irriti: quoruim  
 nimiam prolixitatem, & inutilem dissonantiam; ut  
 cum Paulo Diacono dicam, Iustinianus mirabili  
 breuitate correxit; cum anteà tam vasta illorum mo-  
 les esset, ut in arte tam longâ perdiscendâ, & vitâ  
 tam

*Comment.*  
*Iuris Ciui-*  
*lis cap. 9..*  
*num. 4.*

*Henricus*  
*Salmuri*  
*in cap. 10.*  
*Nouor.*  
*Reperior.*  
*Pancirolli.*

tam breui, vel tria Nestoris saecula, vel naturam Phoenicis rediuuam concedi oporteret; aut certe metuendum foret, ne redundans illa Scriptorum copia in desperationem studiosos pertraheret, aut verò etiam in odium apud eos vocari posset. Ceterum ut in macie plus sanguinis esse Physicis placet, ita in recisis antiquorum Legibus, aptè tamen coagmentationis, plus frugis, minus laboris inuenitur. Ut meritò ridendi sint, qui antiquata veterum Iureconsultorum Responsa tam anxie requirunt, & non minus lugent quam Aegyptij quondam perditum Osirim numquam satis quæsitum lamentabantur. Hiac Bibliotheca omnes rimantur & inuestigant, sicuti nancisci Fragmenta Iureconsultorum amissa possint: non dissimiles quidem pueris, qui non admodum curant poena in cœnis comedere, sed alijs comedentibus, analecta & cortices comedunt audissimè: aut ut quidam veterum, inueni frumento, glandibus vesci malunt, in memoriam videlicet exoletæ vetustatis; & hanc saginam dulcibus, sed parcis epulis præferunt, nescij non plurimo cibo, sed saluberrimo homines iuuari. Iam si quid obscuri in toto Iure Ciuitati repererint, aut duriusculum, vel quod humanum quidpiam sapiat, illicò vociferantur, & vniuersum illud opus, diuinum ceteroquin, reiiciunt ac damnant

nant audaculi pariter ac ridiculi non minùs forsan quām Anaxagoras, cælum omne ex lapidibus compositum asserens, quòd Dimylo Principe vnicus lapis è cælo cecidisset, sicuti ex Laërtio eleganter protulit Stephanus Forcatulus. At quantò fuerat æquius vni atque alteri huiuscmodi errori, utilitatis contrà imminensitatem opponere! quæ tanta profectò est, vt explosis veterum sanctionibus & præceptionibus, & rursum optimis quibusque vulgatis tales se permutationem fecisse Iustinianus meritò glorietur, <sup>s. ult.</sup> Procam. Di- <sup>gestorum.</sup> qualem apud Homerum Glaucus & Diomedes inter se fecisse memorantur:

*Xρύσα χαλκίων, ἐκαπέμβοια ἐπαθόιων:* \*

*Aurea æreis, centenaria nouenarūs, permutantes.*

*Nimium verò astutus fuit nosler Iustinianus* (verba VI. sunt Balduini) qui, vt Principem patitur donare quantumlibet, sic & Principi priuatos liberè & sine insinuatione donare posse statuit; & absurdum esse iudicat, non eodem iure censi ceterumque donationis genus: hoc est, siue Princeps donet, siue ipsi donetur. Quantum tamen intersit, facile quisque intelligit.

Scio inustiam optimo Principi, vt & eius Quæstori Triboniano, auaritiæ notam, quòd Præfecturas vendiderit, quòd demortuorum heredem se scripserit; sed auctore nimiriū Procopio, qui & ab eodem

Comment.  
de Iustinia-  
no, seu de  
Iure Novo.

Imperatore Palæstinis Christianis annum vestigal impositum memorat, exactione nullo humanitatis modo imperata. At quâ fide, quâ fronte, quóve iure, vel eius interpretem Alemannum audi: *Non dissimulo, inquit, Cyrilli Scytopolitani, qui hac planè vidit, narrationem planè contrariam.* Is refert Primæ Palæstinæ, vbi potissimum Samaritarum incursio desæuierat, διδίκη κυρτημαίων οὐγχώρων ἵνοισανθεὶς θηροῖσιν: duodecim centeniorum ex publicis vestigalibus remissionem factam fuisse; Scytopoli verò, quæ hostium damna minus senserat, ἵδε μέτρα κυρτημαίων οὐγχώρων δοθῆναι στροφῶσι Επίκλησι: unius tantum centenarij remissionem dandam Episcopos decreuisse; nempe Antonium Ascalonitam & Zachariam Pellensem, quos pensitandis Clericorum & Ecclesiasticorum damnis Iustinianus præfecerat, ut idem Cyrillus narrat.

Iam verò cùm decretas à Iustiniano in hæreticos capit is pœnas Procopius damnat, in seipso quæserenodum videtur, nisi fortè cum hæreticis & ipse sentiebat: unde & fatetur Alemannus, coactus veritatis viribus, mirari se, quòd de nostra Religionis myste rijs ita dicat, ut ab ijs modò alienus, nonnumquam rectè sentire videatur. Nimirum bilinguis hominis ea fuit aliena insectandi & exagitandi libido, ut dum Principi optimè de se merito non parcit, in scipsum defauiat.

sæuiat, & quod vulgò dici solet, yineta ipsem̄ cædat sua. Neque rhetori illi par est in alijs credere, quem constat, ex Suidâ, Iustiniano infensum fuisse: quo nomine & plerique alij rhetores ei obtrectant, insanumque & illitteratum appellant, quod ipsi, inquit Alciatus, *et infideles Christianissimum Imperatorem* (quo nemo dignior vñquam ad Imperium assumptus est) ferre non possent.

*Lib. 5. Pa-  
rergon c. 2.*

Vetus quidem querela est, multa illum quæ erant VII. Antistitium Ecclesiæ usurpasse, multa de personis Ecclesiasticis statuisse, dum se Diuinis immiscet, qui humanis tantum præfectus esset rebus; quod nec Ethnici Imperatores præsumperunt, nisi creati primùm Pontifices Maximi. Eius in Sacerdotalem ordinem, inquit Alemannus, in summos Sacrorum Antistites, in rem Ecclesiæ publicam, ad hanc fermè diem miratis sumus effusam licentiam. Et Cardinalis Baronius aequalis doctrina vir ac pietatis, cùm huius Imperatoris res in Annales referret, vehementer etiam atque etiam hunc Procopij librum expetiuit, quod inde compertum fore putaret, Imperatoris Iustiniani mores qui fuerint, quod ingenium, quæ prudentia, quæ denique pietas; cùm non bonam de illo opinionem mouere videretur illa eius in Ecclesiasticos licentia, quam in pium probumque Principem cadere minimè posse, & summus ille vir affirmabat, & boni omnes intelligunt.

F 2 Verūm

Verum ad eius excusationem multa etiam sunt quae possunt afferri, eodem teste Eminentissimo Annalium scriptore Baronio; Atque primum, inquit, illud accipe de his consilium eius. Quod enim ipse vidisset, plurimisque exemplis patet factum intellexisset, nullam esse Ecclesiasticorum Canonum obseruationem, cum imperassent Principes Fidei Catholice minimè studiosi, immo perduelles, ut fuerunt Zenon, Basiliscus & Anastasius, sed hereticorum arbitrio cuncta esse permissa, misceri atque confundi; sed & euenisset interdum, immo saepius contigisset, ut Constantinopolitanæ Ecclesiae heretici Antiflites praeserrent, penes quos nulla penitus esset Canonum ratio, sed studium tantum priuatae fortunæ: Hæc, inquam, ipse considerans, illud sibi arrogandum putauit (quod alias in concessum videri posset) ut plures de rebus & personis Ecclesiasticis ederet Sanctiones, quibus coerceri possent infrenes heretici, & petulantes schismatici cohiberi, atque soluti disciplinâ restringi; probè sciens iustis non esse positam legem, sed prævaricatoribus.

VIII. Hinc Alexandri, Honorij, aliorumque Romanorum Pontificum Decreta non aliter excommunicatione latæ sententiæ Regulares coercent, quam si infra spatum duorum mensium ab inceptione studij Legum Cuiilium computandum non destiterint: ex quo satis appetet, non tam honestissimam disciplinam

plinam perstringi, quām periculum vitæ spiritualis, sanctiorisque amittendæ professionis auerti; in quod venirent, si moras cum sacerdotalibus in Vniuersitatibus traherent. Præsertim cùm vel religiosissimo Antistiti, ipsiusque Monasticæ vitæ cultori, si probè antè Iuris utriusque præceptis instructus fuerit, citra piaculum liceat de Iure respondere. Notum est Matthæi Iterani, quem Augustinum postea dixerunt, nobilis factum; qui cùm auitâ maiorum nobilitate claret, & Iuris consultissimus Leges publicitus exposuisset, in album Sodalium S. Augustini, nomen ab

*Raderus  
2. Parte  
Viridarij  
Sandor.  
cap. 5.*

Eremo trahentium, relatus, generis nobilitatem doctrinæque præstantiam ita dissimulauit, ut idiotæ personam ignotus omnibus sumeret, & infima mediastinorum seruorum officia seruitiaque obiret. Sed ubi Rosæ didicit Fratrum familiam in periculo amittendi prædij versari, ac controuersiam anticiparem esse, suosque magnis iniurijs premi, Cœnobij Procuratorem adjit, petiitque potestatem pauca scribendi, quæ bono futura essent suis. Risit primū ut simplicis petitionem Procurator, quem neque litteras nosse, neque characteres formare posse credebat. Perseueranti tamen porrexit chartam, stilum, atramentum. Complexus est Matthæus causam paucis, & schedium iussit Iacobo Pagliorensi, aduersariæ

partis actori, tradi; qui perlecto ac perpenso scripto, breui illo quidem, sed neruoso, & sententiarum pondere graui; Aut, inquit, hoc à malo genio profectum est, aut ab Angelo sancto, aut à Matthæo Iterano, quicum operam dedi bonis artibus Bononiæ, quem militiæ tandem armis occubuisse cognoui. Procuratore ab illitterato & agresti homine scripturam factam affirmante; Non est ita, inquit; hic quisquis est, Iuris scientissimus est; & percontando progressus Rosiam in rem præsentem venit, ipsumque Augustinum condiscipulum olim suum mox agnatum complexus totum lacrymis perfudit, causamque totam Cœnobio transcripsit. Et versus ad conuentum: Custodite, inquit, hunc Thesaurum sapientiæ & virtutis, quo meliorem nusquam reperietis.

De B. Ambrosio, quem nemo nescit coactum fuisse à populo in sacram militiam dare nomen, & à foro ad Infulas ascendere, refert Augustinus, adeò fuisse illum obrutum cognitione alienarum causarum, ut vix daretur ei respirandi facultas; atque adeò toto tempore quo ipse Augustinus Mediolani resedit, numquam nactus sit Ambrosium ab his liberum & otiosum. Verùm, ut ista deessent, mirum quantum superiori sæculo auctoritas eruditissimi Antistitis Antonij Augustini, Ilerdæ primùm, deinde

*Lib. 6.  
Confession.  
cap. 6.*

Tarra-

Tarragonensis Episcopi, studium Ciuilis Prudentiae cohonestarit; quippe qui suis Emendationum libris, assiduâ & indefessâ prorsus diligentia, quamplurima restituerit vetustate collapsa, quæ alioqui Iureconsultis negotiis non mediocre faceſeabant. Nimirum sancta Dei Ecclesia, Legum ſecularium, quæ æquitatis & iustitiae vestigia imitantur, famulatum non respuit; fed eas suis ipſa Legibus ac Decretis confirmare consueuit; tametsi illarum non Christianus Princeps, ſed Diocletianus fuerit promulgator, vel quiuſiſ alijs perſecutor Eccleſiæ. Vnde in Academijs nonnullis, ex Romanorum Pontificum priuilegio, ſeculares Clericos Sacris initiatos, Iuri Ciuli operam dare nemo ignorat; quâ prærogatiuâ Patauinam Academiam dohatam eſſe ab Eugenio IV. refert vir Humanioribus ſtudijs celebris Antonius Ricobenus, Commentarij ſuis de Gymnasio Patauino.

Certè olim Legum interpretandarum scientia ad **I X.**  
**Collegium Pontificum pertinebat, ad quos de omni-  
 bus Diuinis & Humanis etiam referebant. Imò  
 verò nulli Iureconsulti dicendi ſunt, niſi vtrumque  
 intelligent. Iurisprudentia enim recte ab Vlpiano  
 definitur, **RERVM DIVINARVM ATQUE HU-  
 MARVM NOTITIA.** Et hæc cauſa eſt, cur apud ipsos Ethnicos nobiles Iureconsulti patres in vtrâque  
 facul-**

*Cap. 1. De  
Noui ope-  
ratis nuntia-  
tione.*

*cap. Super  
specula. De  
Priuilegijs.  
Cap. Si in  
adiutoriū.  
dift. 10.*

*L. 2. §. 6.  
in fine.*

*ff. De Ori-  
gine Iuris.*

*Cicer. 3.  
de Orat.*

*Cland.*

*Clemens  
I. 2. Musei  
ſect. 1. c. 9.*

*ex Briffo-  
nio l. 4.*

*Selektari.*

*Antiq.*

*cap. 1. 6.*

*Lib. 8. c. 8.* facultate essent. Sic Valerius Maximus ait Scæuoram benè ac diu iura Ciuium & Cæremoniarum  
*Lib. 5. c. 8.* ordinasse : & Titum Manlium Torquatum, Iuris Ciuilis & factorum Pontificalium peritissimum  
*Lib. 5.* fuisse memorat . Sic Tacitus Ælium Capitoneum humani diuinique Iuris scientem scribit . Eadem  
*Lib. 5.* laus ab eodem tribuitur Cocceio Neruæ. Et Gratianum nostrum in Decretalium compositione multas Imperatorum Constitutiones allegare scimus, easque interdum, quæ non extant in Iure Cæsareo.



CAPVT

## C A P V T V.

Refutatio eorum quæ in Gratianum & eius  
Decretum adduci solent.

- I. *Accusatur Gratianus, quod priuatus homo non habuerit auctoritatem Legis ferende.*
- II. *Quod Compilator insignis nihil ferè habeat utile, unde propriam laudem mereatur.*
- III. *Quod antiquas Decretorum Collectiones corruperit, & mala fide in citandis Auctoribus usus sit.*
- IV. *An fuerit S. R. E. Cardinalis, & frater Petri Lombardi & Petri Comestoris.*
- V. *Cur illius doctrina appelletur Authentica.*
- VI. *Eius Decretum publice in Academis pro Iure proponi & doceri ius sit Eugenius III.*
- VII. *A Gregorio XIII. approbatur.*
- VIII. *Quid vox Palea, Canonibus identidem apposita.*
- IX. *Gratiani Collectio à Theologis non minus quam à Iurisperitis in pretio habetur.*
- X. *In ipsam Ioannis Molinei scomma nimis inuidiosum.*
- XI. *Contius in eum commotior ob male citatum Pauli locum, veritatem expertus resipiscit.*

**S**E D obijciunt Theologorum , adeoque I.  
Iureconsultorum non pauci (quod futu-  
rum erat tertia pars Dissertationis nostræ)  
Gratianum , Monachum Ordinis S. Be-  
nediti, priuato studio Decretum composuisse , nec

G

aucto-

*Boëtius  
Epo lib. 2.  
de Iure Sa-  
cro cap. 2.  
n. 135.* auctoritatem habuisse Legis ferendæ: quodque no-  
uitij quidam Scriptores testari voluerunt, hanc illius  
operam ab Eugenio III. sub quo vixit, approbatam  
fuisse, nullo præter vnum Trithemium idoneo teste  
confirmari; adeoque meritò rejici à plerisque omni-  
bus vt suspectissimum; cùm neque diligentissimus  
in rebus eiusmodi adnotandis Antoninus Archiepi-  
scopus Florentinus, neque Platina Pontificum *βιο-*  
*γραφος*, neque quisquam probatus Auctor id affirmet.

*I. Hic*, vt facile omnes concedunt, Compilator insi-  
*Anton.* gnis nihil ferè habet vtile, quod proprium dicere  
*Augustin.* possis: sed corniculæ illi similis, vt est in fabulis, ri-  
*lib. 1.* sum scientibus, admirationem ignorantibus mouet.  
*Dial. 1. de* Si verba consideres, nihil illo tritus; si artem requi-  
*Emond.* ras & ordinem dicendi, frustrà laborabis. Ita multa  
*Gratiani.* refert alieno loco ponenda, ita pro certis incerta con-  
stituit, vt malis illa eadem in ipsis libris non solum  
Conciliorum, sed etiam Burchardi & Iuonis & alio-  
rum Collectorum requirere.

*III. Nam*, vt auctor est Sigebertus, veteres Ecclesiæ  
*Apud Ge-  
nebrard.* Canones in vnum Volumen congesserat Burchar-  
*lib. 2.* dus; primò Lobiensis Monachus, deinde Episcopus  
*Chronogr.* VVormatiensis, adiutus ope Olberti Leodiensis Ab-  
batis: quos posteà dum Gratianus rededit in ordi-  
nem, non parum corruptit. quamquam alijs malint,  
eum

eum sua ex Decreto Iuonis Carnotensis Episcopi delibasse. Sed Antonium Contium h̄ic omisisse sit nefas: *Vt maxima, inquit, cum minimis conferam, cum Imperatore Monachum, cum Justiniano Gratianum, locos ex eius farragine quosdam notabo, ex quibus mihi per quam suspecta esse cœpit eius in citandis Auctoribus fides. Equidem quā fide Canones Conciliorum & Pontificum Epistolas transcriperit, lubenter in præsentiarum totam hanc censuram Theologis cesserim; ea que ad Ius Ciuale pertinent tantum attingam.* Nam alterum mihi crimen falsi esse videtur, falsum quod in altero deprehenderis excusare vel dissimulare; ut alterum parricidium recte dixit Papinianus, parricidium defendere. Ceterū Imperatoria Maiestas omni falsi suspicione Justinianum liberat; Gratianum priuatum hominem non æquè. Is igitur Isidoro adscribit cap. I. XXV. quest. IV. & cap. I. & ultimum XXXV. quest. V. quæ capita apud Isidorum typis excusum non inueniuntur; ut valde mirer, extitisse quosdam tanta falsitatis confirmatores, qui & librum & caput, quo apud Isidorum inueniretur, notauerunt ad marginem librorum, quibus in tam aperto mendacio nulla veria suffragatur. Sed quod attinet ad prolixum illud caput ultimum, quod est XXXV. quest. V. nullum verbum eius extat apud Isidorum; sed integrum illud caput decerptum est ex receptis Pauli sententijs, in quarum Fragmentis

bodie quoque legitur, & multò quidem emendatiùs & sincerius quām apud Gratianum. Parum enim fuit sub Isidori nomine Paulo abuti, nisi maior fraus in contamnandis Pauli verbis, & cum barbari cuiusdam interpretis ineptijs comminiscendis interueniret. Sed tamen toto capite tot ferè sunt errorum monstra, quot vocabula; ut cùm in secundo gradu fratrem & sororem numerat; deinde in eodem gradu patruum & auunculum collocat, quod sint fratres patris & matris. Quis hæc portenta dissimulet?

I V. Hæc illi. At possem ego, ante omnia, Gratianum in altiore dignitatis gradu collocare, atque ex Monacho Benedictino Cardinalem facere, propter auctoritatem Alberici, qui in Chronico suo nondum in lucem edito, anno M. C. XLVI. Item, inquit, in eodem anno, id est Frederici Imp. quinto, quidam magister egregius, Omnibonus nomine, librum de Concordantia discordantium Canonum diligentissimè ordinauit in duas partes; Primam partem in xv. Distinctiones; Secundam in Causas XXXVII. per questiones diuersas satis artificiè positas. Et hic liber à nomine Auctoris, Omne bonum appellatur. Et hunc secutus est tempore Alexandri Papæ Gratianus Cardinalis, qui multa addidit, ita quod de xvi. Distinctionibus, centum Distinctiones fecit, & per ipsum ista doctrina facta est magis Authentica. Ita Albericus.

ricus. Verum tamen si nullum tantum honorem esse putem, qui in Gratianum collatus non sit ei qui contulerit magnam iudicij laudem allaturus; hunc tamen illi asserere non ausim, quod fraudi fuisse videatur Alberico nominum similitudo. Alexander enim PP. III. Pisanum quemdam, cui Gratiano nomen fuit, ex Subdiacono & Scriptore Apostolico Cardinalem creauit, & suorum omnium Consilio- rum participem atque adiutorem esse voluit anno salutis M. C. LXXVII. Vnde forte orta Alberici opinio in eam historiae speciem coaluit, quam postea bonâ fide litteris consignauit. Neque certioribus ar-  
Tiraquell.  
de Nobili-  
tate c. 15.  
num. 32.  
gumentis, ut existimo, sensim sine sensu fabula ado-  
leuit ea, quâ Gratianum, Petrum Lombardum &  
Petrum Coonestorem germanos fratres fuisse ferunt;  
quorum primus Etruscus fuit ex Clusio ciuitate, al-  
ter, Lombardus Nouariensis, tertius, Gallus Tre-  
censis, non magis sanguine quâm patriâ inter se  
iuncti.

Ceterum merito cuiquam videri possit, singula-  
rem quamdam auctoritatem operis Gratianei indi-  
care voluisse Albericum, cum scripsit, *Per ipsum  
hanc doctrinam factam esse magis AVTHENTICAM*; id  
enim præ se fert vis ac ratio Græci vocabuli, quo  
etiam Iustinianus Nouellas suas, Constitutiones ap-

G. 3. pellari

Bellarmino.  
de Scripto-  
rib. Eccles.  
in Petro  
Lombardo.  
Genebrard.  
l. 2. Chro-  
nographia.

pellari iussit, quod certae ac præcipuae fidei essent, ad distinctionem earum, quarum Epitomen compo-  
Aut. Constantini Pref.  
ad Abusum Nouellar.  
 fuerat Julianus Antecessor Constantinopolitanus circa tempora ipsius Iustiniani.

V I. Nam, ut Adrianus Imp. ex Perpetuo Edicto, quod <sup>a</sup> Saluius Julianus i c. Romanus priuatim composuerat, Ius publicè dici posteà voluit; sic Eu-  
a Eutro-  
pianus lib. 9.  
L. 2. C. De Veteri  
Iure enucleando.  
L. pænit.  
C. De Condicio-  
ne indebiti.  
L. Ante-  
quam.  
C. De vſu  
fructu.  
B. VVseemb.  
in Oecon.  
Iuris Cano-  
nici, Au-  
dor Vita  
Gratiani,  
qua Decre-  
to pafgi  
folet.  
y Andr.  
Aleciatus  
lib. 4.  
Parergans  
cap. 23.

genius <sup>b</sup> Pontifex hoc Decreti opus à priuato tantum homine digestum, publicè in Academijs pro Iure proponi ac doceri deinceps iussit. Vnde quamvis multi alij viri docti ante Gratianum in hoc scribendi genere operam non mediocrem posuissent, ut Dionysius, Isidorus, Cresconius, Burchardus, Iuo, & si qui sunt alij: y ipse tamen solus obtinuit, ut publicè in Gymnasijs prælegeretur, & multorum doctissimorum hominum Commentarijs illustraretur.

VII. Prætereo propagatam iam aliquot sæculis illius auctoritatem, ex eo mirum in modum confirmata in fuisse, quod Summorum Pontificum sedulâ curâ, adlaborantibus consultissimis quibusque viris, antiquæ fidei restitutus fuerit, atque à librariorum masculis repurgatus: quæ tamen ratio cum satis per se valida sit, vix aliquem dubitandi locum relinquit. Vnde Tuschus Cardinalis aperte litteris consignauit,

uit, *Decretum Canonicum per Gregorium XIII. fuisse approbatum, & contenta in eo esse Leges Canonicas effectas.*

*Verbo Decretum Canonicum.*

Neque magnoperè obstat superioris Eugenianæ approbationis mutam prorsus esse memoriam, al- tumque Scriptorum silentium; haud ita quippe firmum est argumentum, cum quid ideo negatur esse, quod ab Auctoribus non traditur à quibus tradi deberet.

Ceterum huic Gratiani Collectioni Paleam di- VIII.  
 scipulum aliquot addidisse capita, quibus eius no-  
 men adscribitur, vero proprius est, quam quod cen-  
 suit Gilbertus Regius Nosterenus, vbi scriptum reli-  
 quit: *Dubitari video, quid significet hæc vox PALEA,*  
*quæ plurimis in locis Decretorum est adposita. Non fuit à*  
*Gratiano adscripta, sed à Pontifice Eugenio III. ni me*  
*meum fallit iudicium. Nam cum Decreta compilasset Gra-*  
*tianus, obtulit ea Pontifici, qui librum recognosceret, &*  
*auctoritate publicâ donaret. Relegens opus Pontifex no-*  
*tauit velut asterisco capita quæ minimè placebant, nec*  
*vllâ erant auctoritate valitura, & Paleas appellauit; ut*  
*quemadmodum paleæ ad grana frumenti viles sunt, nul-*  
*liusque momenti, sic capita notata omni pondere carerent*  
*inter cetera.*

*Anton.*  
*Augustin.*  
*Pref. ad*  
*Antiquæ*  
*Decreta*  
*lium colle-*  
*ctiones.*  
*Ecclesiæ-*  
*psalmi,*  
*lib. I. c. 24.*

Ad id quod præterea obijcitur non erit difficile IX.  
 respondere ipsissimis verbis Antonij Augustini, eru-  
 ditissimi

ditissimi Antistitis; reponit enim Dialogistæ suo:  
*Ludis tu quidem, ut soles, perurbanè, & mihi videris  
 pro tuâ preclarâ dicendi facultate magnas res contemnere  
 & pro nihilo ducere; minores verò in cælum tollere, atque  
 augere dicendo. Nam ut dem tibi nihil ferè aut pauca de  
 suo Gratianum attulisse (quod falsum est) adfert etiam  
 multa, quæ in alijs Collectionibus non inuenies; qualia sunt  
 quæ per Burchardum & Iuonem sunt nata; item multa-  
 rum difficultatum solutiones: sed quamvis nulla attulerit,  
 feliciorem tamen ceteris Collectoribus negare non poteris,  
 quos in tenebris diu fuisse nouimus, dum hic in omnium  
 manibus versatur; multorum interpretum illustratur lu-  
 cubrationibus, refertur denique in iudicij omnibus, atque  
 à Theologis non minus quam Iuris utriusque peritis in  
 pretio habetur. Quod si in illo verborum elegantiam desi-  
 deras, temporis est non hominis culpa; tritis utitur verbis,  
 ut omnibus prodeesse possit.*

*Lib. de  
Iure sacro*

Et Boëtius Epo: *Gratianus, inquit, non quidem Le-  
 gislator ipse met, sed ab Ecclesiasticis Legumlatoribus in Ec-  
 clesiâ Christi probatus. Idemque de Arte & ordine De-  
 creti Gratianæi: Quoniam, inquit, Gratiani volumen  
 illud insignis & incomparabilis est omnis & Antiquitatis  
 & Legislationis Ecclesiastica Thesaurus, à Summis Ponti-  
 ficibus olim, sicut & nuper à Gregorio PP. XIII. nobis  
 ad obseruandum traditus: mox in initio, non inutiliter*

*nec*

nec importunè pro studiorum commoditate , de tanti ac tam vasi quæremus Operis vel Arte vel Ordine.

Atque eiusmodi arguento accuratissimè versa- X.  
to subiicit: Iudicium Ioannis Molinæi, Gratianum no-  
strum temerè prorsusque pueriliter calumniantis , & in  
suâ Decreti Gratianæ professione præuaricatorem se de-  
clarantis , ut editionem Decreti Iuonici suam redderet  
plausibiliorē , vehementer eisdem demiror atque desi-  
dero : nec ullo modo ferendum reor tam insolens hominis  
intemperantis in Interpretes omnes nostros , qui Gratiani  
laborem suis illustrarant Commentarijs , viros doctissimos  
atque perspicacissimos , vel scorma vel dicterium ; quasi  
qui dum ordinem quærunt in Gratiano , venationem in-  
stituerent aut delphinorum in sylvis , aut aprorum in flu-  
etibus . Illud non inuitus agnoscō , simile quid interdum  
præter spem suam & expæctationem accidisse Gratiano  
quale metuentibus pestem ; quandoquidem ut hi sepenu-  
merò per diuerticula primi in eam incident ; ita Gratia-  
nus ab ordinis confusione sibi & vel maximè metuens , in  
eam fluctuantius impegit interdum ; sed in medio quasi  
cursu diuerticuloque dumtaxat , non in summis generibus  
& tuncumque constituendis . Quod ut ut sit , certè Gratia-  
nus Iuonem longissimè superat & ordinis commoditate &  
rerum Ecclesiasticarum copiâ : neque vel umbram ullam  
veri habet , quod Joannes iste Molinæus iactitat , Iuonis

*Volumen Gratianæ Decreto maius esse atque locupletius; cùm è contrario tertia pènè parte sit maius, & rebus Ecclesiasticis instructius Gratiani Volumen Volumine isto Iuonis, vt maximè Glossarum quasi vestimento denudaretur Gratianus; id quod optare videtur Molineus. Habet hoc item commodi Gratianus præ ceteris Decretorum Collectoribus, quòd in utramque partem quæstiones omnes grauissimas luculenter agitet, non Scholastico tantùm, sed & forensi more; qui disputandi mos proculdubio semper ad rectè de rebus omnibus iudicandum vehementer necessarius.*

*Quod Canonem Iudicantem. xxx. quæst. v. quæ est Lex Constantini in Cod. Theod. ynà cum Aniani Scholio, Eleutherio Papæ tribuit, plus centum annis Constantino anteriori, similesque Decretales primis Pontificibus falsas adscribit Gratianus; Non magis eius, inquit Contius, quàm superiorum, qui Canones & Decretales colegerunt, hoc mendum est.*

*Cap. 10.  
Lection.*

XI. Ideinque posteaquam Lege Cornelij de falsis in Gratianum agere velle videbatur ob malè citatum Pauli locum, moderationis scilicet ac lenitatis laudem sibi vindicare voluit, cùm in suo Lectionum libro scriptum reliquit: *Post priorem huius libri editionem rursum diligenter contuli omnes libros Isidori hac tenus impressos tam Venetijs quàm in Galliâ, in quibus*

*Ibid ad  
marginem,*

*bus omnibus nulla est Pauli mentio vel citatio. Tandem  
verò in Bibliothecæ cūiusdam veteris manuscriptum Iſi-  
dorū incidi, vbi miniatis litteris adnotatum reperi, ex  
Pauli sententijs illud deceptum esse; qui tamen locus à  
quibusdam videtur interclusus. Hoc candidè moneo, ne  
quis me putet quemquam prudenter scienterque falsi in-  
simulare velle. Evidēt hactenus culpā vaco, qui tan-  
tisper omnium impressorum & quorundam manuscripto-  
rum fidem secutus sum, donec in alterum illum incidi,  
vtcumque etiam corruptum.*



## C A P V T VI.

Raymundi Barcinonensis, viri summi atque omnibus sanctimoniac notis illustris, doctrina singularis asserta aduersus ineptum cauillatorem.

- I. *Raymundus Barcinonensis, Ordinis Predicatorum magnum lumen, Angelo suo tutelari familiarissime usus.*
- II. *Imprudentia falso arguitur in Decretalibus concinnandis.*
- III. *Ita laudatur, ut maiore commendatione cohonestari nemo possit.*

I.  
Prefat. ad  
Antiquas  
Decreta-  
lium collec-  
tiones.

**E**STO, quod etiam alicubi voluit Antonius Augustinus, & sentiunt plerique omnes tam Civilis quam Pontificij Iuris Interpretes, non plus tribuat pondersis Ecclesia locis quae apud Gratianum leguntur, quam ferat meritum eius a quo illa depromxit. Nolo venditare Decretum tamquam Ius Ecclesiae, & ab eâ donatum summâ auctoritate. Adscripsit Gratianus interdum Sanctis Patribus, quae vel his numquam venerunt in intentem, vel etiam ijs quae ipsi

Angelus Roca de Canonizat. Sanctor. c. 39. Bol. Larmin. de Scriptorib.  
Eccles. in Gratiano. Anton. Augustin. in Dialog. de Emendatione Gratiani. Courarruan lib. 4. c. 13. Tom. 2. & in Annot. ad Can. Anastasius dist. 19. Baronius ad annum Christi 487. & 497. Egid. de Coninck Pref in Commentar. de Sacram. Eranc. Connan. Commentar. Iuris Civilis lib. 1. c. 6. n. 8. & lib. 9. c. 8. num. 11.

ipſi scripta nobis reliquerunt penitus repugnant. Absit tamen, vt vel Gregorium IX. Pont. Max. vel certè Raymundum Barcinonensem, Ordinis Prædicatorum magnum lumen, peruersi hæc in parte fudieij insimulare quisquam audeat, & oscitantia træducere. Nam si Socrates, quod illi à puero Genius nescio quis adhæſisset, sapientissimus habitus est secundum Pythij quoque dæmonis suffragium, qui Cherophonti id oraculum edidit, quod in omnium ore est; *Mortalium unus Socrates verè sapit;* in Operæ Decretalium concinnando Raymundus non accutissimus esse non potuit, qui Angelo suo tutelari tam usus est familiariter, vt non raro ad statas ab copreces excitaretur: qui nobilitate generis, eruditione & sanctitatis laude clarissimus, anno M. CC. LXXV. vitâ functus, coli publicè ad aras Barcinone cœpit M. D. XLII. tandemque M. DC. I. quod deceret

*Hunc hominem numero Diuum dignarier esse,* Clementis VIII. sacrosanctâ auctoritate in Sanctorum Confessorum numerum est relatus, tam propensâ ipsius Pontificis voluntate, vt ipse de co-Orationem composuerit, quam in Officio Diuino retinuere Prædicatores.

Quare, vt ne mentiar, sæpè mihi stomachum mouit is qui in Præfationem Decretalium Gregorij IX..

Tertullian.  
de Animâ  
cap. 1.  
Lactitius  
de Viris  
Philosoph.

Bzoniūs in  
eius Vitâ.

R. P. Ioannes Bollandus è S. I.  
in Actis  
Sanctor. 7. Ianuarij.

notulas quasdam conscripsit. Nam quo loco ait Pontifex; *Ad communem & maximè studentium utilitatem, per dilectum filium Fratrem Raymundum, Capellatum & Pænitentiarium nostrum, illas in unum Volumen, resecatis superfluis, prouidimus redigendas adiecit ille: Interdum & utilibus; quod de Triboniano dicitur, qui fuit Raymundo isto doctior.* Evidem miratus sum non semel, homini fortasse non indocto tam ineptum ac puerile iudicium excidisse: adeò pauci sunt, qui veram ac solidam sapientiam pro merito aestimare norint. At quantò melius Henricus Gandauensis, Doctor ille Sorbonæ Parisiensis, ac Philosophus sæculi sui celeberrimus, comitemque Academiæ suffragio, DOCTOR SOLEMNIS appellatus: *Raymundus, inquit, Iuris peritissimus ad mandatum Domini Gregorij Compilator fuit illius Codicis, qui modo Nouum Lib. appellatur.*

III. Et Platina in Gregorio IX. Raymundum Barcino-nensem, quo adiutore in compilando Libro Decretalium Gregorius usus est, ita quidam laudant, ut maiori commendatione commendari nemo possit. Sic & Leander Albertus in eius Vitâ: *Raymundus de Pennaforti Catalanus originem retulit in Aragonum Reges. Is postquam adoleuit, missus est ad Gymnasium, ut scientiam hauriret; in quo tantum breui admodum tempore profecit, ut eâ tempe-*

state

state in Pontificio atque Imperatorio Iure inter viros clariſſimos facile connumerari posset. Quamobrem Ciues Bononienses, tanti viri famam exaudientes, publico stipendio ipsum ad docendum conduxere. Et cognitâ eius insigni doctrinâ, à Gregorio IX. Pontifice iussus est Epistolas Pontificum, ac Conciliorum Decretales in unum corpus redigere, quod haec tenus in usu habetur in Gymnasijs, & ad amissim seruatur; prout dignosci potest in Proæmio ex eius nominis citatione ab eodem Pontifice. Fecit & ipsum Pontifex Capellatum suum & Pœnitentiarium: que dignitas temporibus illis non nisi valde litteratis conferebatur. Additque Franciscus Diagus, cùm anno M. CC. XXXVII. totius Ordinis Prædicatorum Praeses Generalis electus esset, secundissimo Bononiensis Academij plausu acceptam esse electionem, & viam quodammodo confirmari diuinitus, cùm acumbentibus mensæ Patribus, cuidam de more sacram lectionem auspicaturo, fortuitò ea Ioëlis verba occurserent: *Filij Sion exultate, & letamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis.* D O C T O R E M:  
L V S T I T I A E.

*Apud R.P.  
Ioannem  
Bolland. in  
Actis San-  
ctorum  
7. Ianuarij.*

## CAPVT VII. ET VLTIMVM.

**Antistitum Iuris, utriusque honores bonis artibus quæsitos, minimè fugillandos esse.**

- I. *Iustiniani Imp. elogia.*
- II. *Mendosus Suidæ locus de eius ignorantia, ex Procopio corrigendus.*
- III. *Civilis Prudentia multum debet Triboniano.*
- IV. *Gratianus & Raymundus viri illustres, & Principum virorum amicitia nosti.*

**N**E patiamur itaque tantorum virorum memoriam apud nos senescere, maneat in comperto, quod ostensurum me receperam, Antistitum Iuris utriusque honores bonis artibus quæsitos, minimè fugillandos esse; immò verò potius liberiorum Scriptorum censuras maiorum testimonio atque auctoritate corrigendas. Tot in Iustinianum Imp. conuitijs & maledicentijs vel ipsius Alemanni calamum inhorruisse cum Procopium exscriberet, satis superque produnt loca subinde asteriscis notata, quæ aliquando ille sæculi nostri Apelles, sed mansuetioribus musis magis inclytus, Petrus Paulus Rubenius ex Codice Anglicano descripsit, & seruat etiamnum tanto parente dignissimus filius, Regi in Concilio sanctiori Bruxellæ

Bruxellæ à Secretis. Legi, non sine horrore, impudicissimas lacunas, mera propudia, infamem licentiam & malevolentiam redolentia, ut veritati Scriptoris detrahere possint iure quam meritissimo. Hic tamen, si Superis placet, hic homo est, quo arbitro stet Iustinianus vel cadat. \* Nos contrà Imperiali diaclemate Magistrum radianter grati suspiciamus, quem numquam tenebras passurum β Sanctissimi Christi Vicarij, Ecclesiæ Romanae Pontifices, cultu præcipuo dilexere; non id utique facturi, nisi aliquos magni Principis etiam in Religione errores ( quorum penituisse illum verisimile est ) benignâ Christianæ charitatis interpretatione molliri potius, quam acerbâ increpatione exasperari debuisse iudicassent.

Quod etiam magis liquet ex Præfatione Sextæ Synodi, quæ Iustinianum beatâ quiete dignatur apud γ Nicephotum verbis eiusmodi : Επιμήδην αὐτούς τοὺς οὐκεπιστημένους σύνθρονοι αἱ καὶ ταύτην τὴν βασιλίδα καὶ θεοφύλακτον πόλιν σωματευόμενας· οἱ μὲν δὲ τὸν τῷ χεργανοῦ Ιωάννην τὰ τῆς Θείας λήξεως· οἱ δὲ δὲ τὸν τὸν εὐαγγελιστὴν τῇ μάρτυρι γερουτῷ βασιλίῳ ἡμέρῃ Κανταρίνᾳ. Quandoquidem sancta et Oecumenica Synodi due, quæ in imperante hac et religiosa urbe coacta sunt, altera quidem Iustiniani diuinæ memoria temporibus, altera vero sub pia recordationis Imperatoris nostri Constantini, &c. Additque Nicepho-

<sup>a</sup> Vide  
Thomam  
Riniūm 10.  
ac Regie  
in Angliā  
Aduoca-  
tum lib. pro  
Defensione  
Iustiniani  
adversus  
Procopium  
Besoldum  
in Synopsi  
rerum ab  
Orbe con-  
ditio, &  
Comment.  
de Lib. lue.  
num. 4.  
utque in  
Præconit.  
Digestor.  
quæst. 12.  
§ L. Inter  
claras. C.de  
Summā  
Trinit. &  
Fide Cath.  
Mager. de  
Aduocat.  
Armat.  
c. 5. n. 267.  
& seq.  
γ Lib. 27.  
Hist. or.  
Ecclesiast.  
cap. 31.

rus: Sed enim Aëta quoque eius Concilij, cum mentio eius facienda est, dei rō̄ cō̄ aγ̄iois l̄es̄niarō̄n d̄ez̄ow, semper eum, qui in Sanctis est, Justinianum dicunt. In quibus & scho-  
lium siue breuem annotationem inueni, quod Ioannes Chalcedonis filius, cum Constantinopolitana praeferset Ec-  
clesiae, Alexij Comneni etate, in ipso Dei Verbi Sapientie Templo quotannis magnifice memoriam eius celebrarit, po-  
puli vniuersi concione ad rem Diuinam coactâ. Memoria eius Ephesi quoque, in delubro discipuli eius qui supra  
pectus Salvatoris recubuit, culta: quod delubrum ipse Iu-  
stinianus construxerat. In quacumque verò ille demum apud Deum & homines est existimatione, tum quidem hanc etiam ob causam illum sacrum Eutychium, atque alios plures throno expulisse aiunt. Ceterum moritus, sicuti diuus Constantinus Athanasij, ita & hic Eutychij restitucionem in testamento Iustino successori suo manda-  
uit. Evidem opinor, non autem decerno, propter alia ipsius egregiè & rectè facta, & praestantem in Diuinum-  
Numen emulationem, piamque in omnibus religionem, interueniente quoque mirifico Dei Verbi Sapientiae Templi opere, si quid tum in eo desideratum, id infinitâ Dei misericordiâ coniectum iri.

Agatho Summus Pontifex iam suprà memora-  
tus, suâ & centum vigintiquinque Episcoporum au-  
toritate succinctus, Epistolâ qua in eâdem Sextâ:

Synoda-

Vide Cor-  
nelium à  
Rynhelen  
in Iuris  
Catholico  
cap. 124.

Cap. 4.  
num. 5.

Synodo perlecta est, ita de Iustiniano pronuntiat annis quindecim supra centum ab eius morte: *Præ omnibus æmulator vera Apostolice Fidei, pie memoriae Iustinianus Augustus, cuius fidei rectitudo quantum præ sincera confessione Deo placuit, tantum Remp. Christianam exaltauit: & usque ab omnibus gentibus eius religiosa memoria veneratione digna censetur: cuius fidei rectitudo per augustinissima eius Edicta in toto orbe diffusa laudatur.* Quo testimonio, inquit Guinetus, retunditur stolidus indiligentium Scriptorum liuor, eius cineres inanibus mendacijs fodientium.

Sanè quidem testatur ipsemet Iustinianus, se fuligines lucubrationum ebibisse, & pro diei luce intempestatam noctem sæpiissimè usurpare, ut secundum id quod maximè societati hominum & iustitiae expediret, iura promulgaret, & sibi quodammodo vitam produceret: *Omnes, inquit, nobis dies & noctes contingit cum omni lucubratione & cogitatione degere, semper volentibus ut aliquid utile & placens Deo à nobis collatoribus præbeatetur.* Et non in vano vigilias ducebimus: sed in eiusmodi eas expendimus consilia, pernoctantes & noctibus sub æqualitate dierum utentes; ut nostri subiecti sub omni quiete consistant solitudine liberati; nobis in nosmetipso pro omnibus cogitationem suscipientibus. Per omnem namque curiositatem & inquisitio-

*Henric.  
Salmuth in  
Dependit  
Panciroli.*

*S. T. An-  
then. Ut  
Iudices si-  
ne quoque  
suffragio  
fiant.*

nem subtilem discurremus, illa agere quarentes, qua utilitatem nostris subiectis introducendo, omni eos onere liberent.

Id planè admirationem mouet, in Aulâ, in tam eminenti genere vitæ, totius orbis plausu, bellicis occupationibus, potuisse tantum Imperatorem in rebus forensibus scriptisque sic esse. Studia quoque sua non celet magnus ille Princeps eruditionis, scribatque Lucilio suo: *Nullus mihi per otium dies exit: partem noctium studijs vindico. Non vaco somno, sed succumbo; & oculos vigiliâ fatigatos cadentesque in opere detineo. Secessi non tantum ab hominibus, sed à rebus: & primum à meis. Posteriorum negotium ago: illis aliqua, que possint prodeesse, conscribo. Quæ ad illa Sene-  
cæ verba subiungit Lipsius, de nostro etiam Iustini-  
niano verissimè usurpem: Ex vinum diligentem stu-  
diorum, & nostri! quis non amet pariter nobis sic na-  
tum & occupatum? Verba ea repeate & examina, quis-  
quis es: pudebit vel spargere vel audire calumniam in  
generis humani sic amantem. Voluptati, somno, vita de-  
traxit, quod nobis impedit.*

*Iudicio su-  
per Senecâ  
eiisque  
scripsi.*

*II.  
a Lib. 4.  
Diſpunct.  
cap. 7.*

*b i. Parte  
Annot. in  
Pandect.  
γ Nicol.  
Aliman. in  
Notis ad  
Arcanam  
Procopij  
Histor.*

Quocircà desinunt eruditii Iureconsulti, *Andreas Alciatus, β Guilielmus Budæus, γ alijque Iustinianum suum scribere indoctum ac planè rudem; & mendosum Suidæ locum, qui occasionem illis fecit errandi.*

errandi p̄ ex Procopio corrigant. Ac si non clementi,  
faltem minus atroci stylo Tribonianī sui scripta dis-  
pungant; cuius industria scientiam Iuris aidæ mor-  
ti eripuit. Frustrà fabularum Scriptores allatrant,  
frustrà tot vitiorum foedam caligineam eius viri do-  
tibus ignorantia mendaci effuderunt. *Faciet nos me- Epist. 81.  
liores*, inquit Seneca, *si cogitauerimus quid aliquando  
nobis profuerit ille cui irascimur.*

Non igitur dissimulemus, quod & Balduinus III.  
agnouit, Iurisprudentiam nostram multum Triboniano debere, quem accusare non possumus, si Iu-  
stinianum ipsum, haud iniuriā tantoperē laudatum,  
liberare velimus: *Nemo*, inquit, *existinet me Pandet-  
tas, quibus nihil habeo antiquius, nihilque ex illâ anti- Comment.  
quitate relictum esse sentio quod colere magis debemus,*  
*conuellere velle: non modo ingratus, sed & propè insa-  
nus essem, si id vellem, præsertim cum eas ipse doceam.*  
*Neque, opinor, insolens cuiquam videbitur Legum inter-  
polatio, cum Triboniano etiam mandata nominatim ab Iu-  
stiniano sit, & nos multa exempla paſſim ostenderimus.*

Maledicentiae & liuori vnum, sed quod instar  
omnium esse possit, magni illius Cuiacij iudicium  
opponendum: *Tribonianus*, inquit, *maximus sane fuit in Tit. 13.  
Iureconsultus, hec laus ei eripi non potest, idque monstrant de Rei V-  
xonia, &c. lib. 5. Col.*

*Iustiniani: nam plenissimae sunt eruditionis, & prudentie  
legitime; quamobrem sum omnibus auctor, ut omnes Iu-  
stiniani Constitutiones perlegant, diligenterque perscrutentur.*

I V. Ne vtrà imperiti, ne minus solertes, ne plagiarij audiant Gratianus & S. Raymundus, viri illustres,  
& Principum ac Sanctissimorum hominum amici-  
tiâ noti. Sileant Aristarchi, neque vtrà suis obe-  
lis mortuorum famam non sine sacrilegio figant.  
Credamus nihil esse grato animo honestius: & si  
gratiam tantam referre non possumus, quantam de-  
bemus, habeamus tamen tantam, quam maximam  
animus capere potest.

## F I N I S.



A N T V E R P I A E,  
EX OFFICINA PLANTINIANA  
BALTHASARIS MORETI  
M. D C. L L









EDITIONS  
COP